

AD LAURENTIUM MEDICEN VIRUM CLARUM  
DE LIBRO, QUEM PAUCIS ANTE DIEBUS AD EUM SCRIBENS MISERAT

E\_1 v.1 Cum, tibi quem dederam, caperem mihi forte libellum,  
2 Laurenti, patria dum procul urbe manes :  
3 "E Medicum - exclamat - quo me deducis asylo ?  
4 Quo manus, heu, tantum me rapit ausa nefas ?  
5 Aut igitur Pisas, quo se modo contulit heros,  
6 mittito, quo dominus maluit ire meus,  
7 aut ego te fugiens totam clamabo per urbem :  
8 Non tuus, at Medicis sum liber usque mei !"

DE INGENTI QUODAM MUNERE A LAURENTIO MEDICE IN EUM COLLATO

E\_2 v.1 Quam magnus, Medices, jam sis, quam summus haberis  
2 omnibus in terris, hinc tueare licet,  
3 cum modo non tantum superes virtute togatos,  
4 insignes placidis quos tulit Arnus aquis,  
5 sed quoque qui longos Romam duxere triumphos  
6 in Capitolinam, templa vetusta, domum -  
7 ii, quia mortales ipsos vicere sub armis,  
8 quicquid et humana vincier arte potest -.  
9 At, me dum tanto, Laurenti, munere donas,  
10 rebus ut hoc possim consuluisse meis,  
11 per me vim fati duram superasse videris,  
12 vix ea cum summo sit superanda Jovi.

AD ANGELUM POLITIANUM DE HOMERO,  
QUEM HORTATU LAURENTII MEDICIS IN LATINAM TRANSFERT LINGUAM

E\_3 v.1 Tu licet, ingenio dum sacrum vertis Homerum,  
2 macte puer, laudes promereare novas,  
3 te tamen, o vates, si quicquam credis amico,  
4 Angele, promeritum palma secunda manet.  
5 Nam, velut in superis laus est quoque prima Tonantis,  
6 siquid ab imperio causa secunda facit,  
7 sic Medicis nostri laus est quoque prima iubentis  
8 carmen ut efficias : palma secunda tua est.

## AD NICOLAUM MICHELOZIUM LAURENTII MEDICIS SCRIBAM

E\_4 v.1 Sis quicquid tentas quamvis feliciter ausus,  
 2 sive facis carmen, seu pede liber eas,  
 3 officiumque tuum cunctis spectetur amicis,  
 4 laudibus et probitas sit tua digna novis :  
 5 non tamen est in te signum, si cuncta requiram,  
 6 quod probet ingenium plus, Micheloze, tuum,  
 7 quam quod te Medices legit magis omnibus unum,  
 8 ut grave quicquid habet detegat ille tibi.

## AD LAURENTIUM MEDICEN DE IULIO CAESARE AC DE LIVIO HISTORICO

E\_5 v.1 Caesar ut hos, breviter qui res quascumque notarunt,  
 2 vicit et ingenio, vicit et arte viros,  
 3 dum bene quae gessit pariter doctissimus idem  
 4 descripsit brevibus singula quaeque notis :  
 5 sic Titus hos itidem superat certissimus auctor,  
 6 qui verbis scribunt pluribus acta ducum,  
 7 doctus in historiam redigit dum Livius amplam  
 8 Romanus quicquid gesserat ante pater.

DE VILLA QUAM LAURENTIUS MEDICES MAXIMIS SUMPTIBUS  
 IN MONTE CHAIANO AEDIFICARE INSTITUIT

E\_6 v.1 Divitias fuerit licet admirata vetustas  
 2 in Crasso, summas dum cumlaret opes ;  
 3 Scipiadae quamvis animum mentemque benignam  
 4 jactitet in patriam Martia Roma suam,  
 5 aut animo Caesar quam magno Julius esset  
 6 quam foret aut doctus saecula vetusta notent ;  
 7 si Maecenatem veteres cecinere Quirites,  
 8 vatibus attulerat qui decus omne sacris,  
 9 aedes Luculli stupuit si Tybris et amplis  
 10 atria porticibus structa sub urbe Remi :  
 11 nos tamen haec, Medices, animo spectamus ab uno,  
 12 dum capis ingenio singula quaeque tuo.  
 13 Nam, bene cum dederis reliquarum maxima rerum  
 14 signa prius, numeris rite canenda novis,  
 15 condere quam cupias ostendis montibus arces,  
 16 tu modo cum villas aedificare pares,  
 17 Laurenti, quales Lucullus struxerat olim,  
 18 urbis et in morem surgere jussit opus.

## EPITAPHIUM FINAE GEMINIANENSIS PUELLAE SANCTISSIMAE

E\_7 v.1 Fina, colis sancte vitam dum, silvia virgo,  
 2 scandis in aethereas, candida facta, domos.  
 3 Est animus certe superas revocatus in oras :  
 4 corpus, quod superest, haec brevis urna capit.

## DE MAUSOLEO, QUOD PATRI ET PATRUO LAURENTIUS MEDICES FACIUNDUM LOCAVIT

E\_8 v.1 Desinat Aeneas celebrarier amplius, olim  
 2 Anchisen quamquam sustulit ille patrem,  
 3 ossa pia quamquam genitoris condidit urna  
 4 atque patri, sapiens, annua sacra dedit,  
 5 neve sepulchra suis deducta per aera summum  
 6 laudibus in caelum Cares, ut ante, ferant :  
 7 ipse ducem sacro Phrygium quia vincis honore,  
 8 inferias patruo dum facis atque patri.  
 9 Marmore praeterea quod surgit et aere polito,  
 10 jam nunc arte nova quod tibi constat, opus,  
 11 Laurenti, superat Cariam superatque laborem  
 12 Icareum, Medices dum capit urna sacros.

## CUR NON ITA FREQUENTER VISAT LAURENTIUM MEDICEN UT ANTEA CONSUERIT

E\_9 v.1 In te summus amor cum sic mihi crescat in horas,  
 2 majus ut hoc, Medices, nil reperire queas,  
 3 cur tamen hinc ego te visam minus, accipe causam,  
 4 nec nisi vera puta quae tibi verba feram :  
 5 numen inest oculis, hominem sonat inde nec ipsum  
 6 vox tua, perpetuis aequiperanda deis,  
 7 unde fit ut nequeam, cum sim mortalis, honores  
 8 ferre novos, superi quos tribuere tibi.  
 9 Sic ego quod cupio fugio tamen, ire nec ausim  
 10 huc, ubi sunt Medicae numina magna domus.

## AD LAURENTIUM MEDICEN DE BELLO QUOD XISTUS PONTIFEX MAXIMUS TYFERNATIBUS INTULIT

E\_10 v.1 Jupiter ut dextra fulmen tenet ipse tricuspis,  
 2 quo, bonus, e summa puniat arce dolos,  
 3 sic tu fers pacem dextra bellumque sinistra,  
 4 Laurenti, Medicae fama decusque domus.  
 5 Quae gerit at suavem Tuscis placidamve quietem  
 6 civibus, illa manus nocte dieque patet ;  
 7 clauditur haec rursus, Martem quae continet acrem,  
 8 ni fuerit causa pacis, aperta, bonae :  
 9 accidit ut nuper, Latus cum forte sacerdos  
 10 fideret Etruscas laedere fraude domos.  
 11 Nam, simul ostendis, bellum qua clauditur ipsum,  
 12 hostibus hanc, Medices, velle aperire manum,  
 13 deponunt animos ponuntque ferocia corda,  
 14 teque domum celeres ire volente parant.  
 15 Sic, tu cum pacem dextra bellumque sinistra  
 16 usque geras, patriae servit utrumque tuae.

## DE SOLEMNI DIE, QUO DIVUS COSMUS FREQUENTER AB OMNIBUS CELEBRATUR

E\_11 v.1 Ecce, dies Cosmi redeunt, redit actus in orbem  
 2 cultus et a vestris qui fuit annus avis.  
 3 Huc bonus, anne, veni semper, Medicumque Penates  
 4 laetius ut videas, huc bonus, anne, veni :

5 ut, cum coeptus honos, Medica tum stirpe videbas  
 6 in tota veluti grandius urbe nihil,  
 7 hac sic stirpe, colet dum te Laurentius heros,  
 8 conspicias toto majus in orbe nihil.

AD LAURENTIUM MEDICEN FEBRICITANTEM

E\_12 v.1 Cum deus aspiceret veluti te sontica febris  
 2 laedere, Laurenti, protinus ausa foret,  
 3 increpat indignans scelus hoc, graviterque minatur,  
 4 a te ni saevas comprimat illa manus  
 5 id fore, quod, nimis imprudens Epimetheus ante  
 6 quam male morborum vas aperiret, erat :  
 7 Febris ut angusto latitans et carcere caeco  
 8 sit, tua ne, Medices, laedere membra queat.

AD LAURENTIUM MEDICEN INTRA CUBICULUM, CLAUSIS HOSTIIS,  
 SE CONTINENTEM PROPTER MORBUM

E\_13 v.1 Cum nequeam lapides penetrare nec hostia clausa,  
 2 sim quia mortali corpore pondus iners,  
 3 hanc tibi mitto deam, Medices ; namque ire per omnes  
 4 difficiles aditus, non onerosa, potest.  
 5 Haec referet tibi prospiciens quae pulcher Apollo  
 6 concinit aurata carmina sancta lyra.

AD LAURENTIUM MEDICEN DE FOEDERE CUM VENETIS ATQUE CUM DUCE BEBRIACO PERCUSO

E\_14 v.1 Vivite, Tyrrheni, jam nunc feliciter omnes,  
 2 nam renovat Cosmi saecula priora nepos !  
 3 Hoc decus omne tuum, Laurenti, maxime rerum,  
 4 haec tibi pro pacis munere palma datur !  
 5 Tu Venetos nobis percusso foedere jungis,  
 6 quod queat inter nos solvere nulla dies ;  
 7 anguigeroque duci, Medicum qui maximus hospes,  
 8 consulis, ut statuat continuare fidem,  
 9 ut tibi cogantur saevi parere tyranni,  
 10 otia dum patriae tam dabis ampla, pater.

AD OCTAVIANUM UBALDINUM

E\_15 v.1 Ubaldine, decus Phoebi, decus atque sororum,  
 2 quas sacra Permessi fluminis unda lavat :  
 3 scripsimus in fratrem quod nunc gravioribus ausis,  
 4 carmen id, o princeps, te rogo, docte, legas.  
 5 Lumine sed placido : nam, si Federicus, honori  
 6 quae damus, haec frater sentiat esse tibi,  
 7 non aliter quam si Phoebus probet illa, probabit,  
 8 ducet et ingenio digna futura suo.

DE LIBERALITATE, QUA USUS EST IULIANUS MEDICES IN EOS,  
QUI IN CERTAMEN EQUITUM HASTATORUM ILLUM SUNT SECUTI

E\_16 v.1 Cum modo quos, Medices, sumptus mecum ipse voluto  
2 feceris aut quantas fuderis, acer, opes ;  
3 rursus et argenti quae pondera, rursus et auri  
4 omnibus, en, hilari sint data fronte tuis,  
5 aut quas sericeas vestes, quae dona dedisti  
6 cuilibet, in pugnam qui comes ante fuit ;  
7 aut, ubi, Jane, domum victricia signa tulisti,  
8 quam data sint multis munera multa viris,  
9 ut Macedum fueris priscos imitatus honores,  
10 quos bonus in dando rex sibi nactus erat :  
11 te graviter doleo, cum sint ea maxima, summum  
12 scriptorem rebus non habuisse tuis.  
13 Siquando dabitur ne grandia facta canentem  
14 me fortuna suis privet acerba bonis,  
15 tunc me non humilem spectabis in arma poetam  
16 surgere et in Medices condere carmen avos.

DE ADMIRATIONE, QUAM LEGATUS VENETUS SUSCEPIT  
DE PULCHERRIMA DOMUS MEDICAE SUPELLECTILE

E\_17 v.1 Miratur Venetus thalami genialis honorem  
2 maximus, et vestes, vir memorande, tuas,  
3 miratur veterum effigies atque ora Quiritum  
4 quae, presso servans aere, vetusta tenes,  
5 miratur pluteum tot magna volumina habentem  
6 priscorum, quot nunc nemo referre queat,  
7 miratur tabulas pictas, miratur et arma,  
8 tu quibus hanc urbem semper ab hoste tegas,  
9 miratur galeasque graves, miratur et enses  
10 ordine dispositos in loca certa novo,  
11 Octavi, decus egregium, miratur et oris  
12 effigiem, superest quae tibi pulchra domi :  
13 sed nihil, ut dixit, nihil est, si cuncta requiram,  
14 omnibus his Venetus quod probet ille magis,  
15 quam mores faciles, quam mitia verba loquentis,  
16 quam probat ingenium mitius inde tuum,  
17 cum tibi, Laurenti, clementia summa nitescat,  
18 virtuti, Medices, gloria prima tuae.

IN AMABILIIUM OBTRACTATOREM

E\_18 v.1 Nuper, Amabili, nostras pervenit ad aures  
2 ut laceras verbis carmina nostra malis,  
3 quodque nimis Medicen laudem me carpis, ineptus,  
4 cum quae summa canam facta minora putes.  
5 Desine : nam tanti non te faciemus, ut usquam  
6 desistam Medicum tollere in astra decus.  
7 Nam, quod et ad modulos jam pertinet, improbe, nostros,  
8 quos ais et numeris, stulte, carere bonis,  
9 non est quod doleam : nam, si mihi nullus adesset  
10 ex his, qui graviter carmina nostra probant,

11 sit satis id signi, quod sint haec optima, cum tu  
12 dixeris haec stulto displicuisse tibi.

AD BERNARDUM BEMBUM LEGATUM VENETUM DE LIBRO,  
QUEM ILLE APUD SE DIUTIUS DETINUERAT

E\_19 v.1 Dic mihi, quid tantum Veneta remoraris in aula,  
2 dic, qua, parve, mihi fretus es arte, liber,  
3 aut quae te tantum fiducia cepit, ut illic  
4 ponere jam sedes nunc meditere novas.  
5 Desine : privati non est domus illa, sed amplum  
6 legatum Veneti quae capit, ampla, ducis,  
7 cui dedit ut noscat divini aenigmata juris  
8 Jupiter atque artes Calliopea suas.  
9 Adde huc egregios juvenes, quibus altus Apollo  
10 dictat inaurata carmina blanda lyra :  
11 hi ne forte tuas carpant, indocte, fabellas,  
12 si sapis, ergo domum, parve libelle, redi !

DE LAURENTII MEDICIS DUORUM FALCONUM ALTERIUS FUGA, ALTERIUS MORTE

E\_20 v.1 Quod tibi tam fortis liquidum petat aethera falco,  
2 ut sibi cum gruibus bella gerenda putet - :  
3 non te, Laurenti, dominum fugit ille benignum,  
4 nec fugit imperium mitius ille tuum,  
5 sed fratrem duro quae nuper aquatica collo  
6 avis iniqua tulit, hanc det ut arte neci ;  
7 nec contentus ea, quae fratri vulnus in alam  
8 confodit, in totum saeviet usque genus.  
9 Post, ubi perdiderit gentem, pius ille, nefandam,  
10 in fratrem tantum quae fuit ausa nefas,  
11 falconis manes rediens geret, ultus, adempti  
12 hostibus a victis, parta trophaea, tibi.  
13 Hinc, ferat ut domino solatia magna dolenti  
14 et tua, quae tuleris, dona rependat, ovans,  
15 unus tot rapido praedas dabit ille volatu,  
16 quot simul ii fratres ante dedere duo.

DE MORTE CONTESSINAE INFANTIS, LAURENTII MEDICIS FILIAE

E\_21 v.1 Audissem natae fatum cum maestus acerbum  
2 atque domum peterem tristior inde tuam,  
3 illius, o Medices, nota mihi major imago,  
4 limine subsistens, talia voce dedit :  
5 "Quod tibi quaerenti fuerat dicturus Apollo,  
6 hoc ego, Nalde, tibi nunc, dea facta, canam.  
7 Instaret nobis aliquid cum triste futurum  
8 idque ratum faceret Parca maligna nimis,  
9 Jupiter ingemuit Medicam vi laedier ulla  
10 progeniem, cujus maximus auctor erat.  
11 Cum tamen obstarent contra luctantia fata,  
12 nil quibus invitis Jupiter ipse potest,  
13 quod fuit, obtinuit, levius pro tempore dannum :

14 ut caderem saevae facta rapina neci,  
 15 tot pater at magnus venerandaque mater in annos  
 16 viveret, ut natos cernat uterque senes."  
 17 Dixit, et in verbo torquens vestigia : "Patri,  
 18 Nalde, velim referas haec mea dicta. Vale !"

DE PISCE A LAURENTIO MEDICE CAPTO,  
 QUI TAMEN COMITIS LAURENTII PRIUS PISCANTIS BIS FILUM HAMI ABRUPISSET

E\_22 v.1 Iret in antiquum Medices cum forte Mucellum,  
 2 ut levet a cura membra soluta gravi,  
 3 ac Sievem peteret Laurentius acer, ut illic  
 4 fallaci pisces gutture figat acu,  
 5 qui comes astiterat vitreum projecit in amnem  
 6 fila, quibus pendens hamus aduncus erat.  
 7 Piscis at illa tamen cum bis fregisset ibidem  
 8 abrumpens fati fila severa sui,  
 9 hamos ore tulit binos, quos merserat undis  
 10 ille, prior Medici qui comes ibat ovans.  
 11 Increpat id summens alium Laurentius hamum  
 12 magnus, ut in liquidas inde remittat aquas.  
 13 Mira canam, sed visa tamen : qui fata parantem  
 14 bis quoque fugisset, piscis, iniqua prius,  
 15 hamum sponte subit, Medices, quem forte regebas,  
 16 ecce, volens domino cedat ut ille tibi -  
 17 cui quoque fors cunctos cedens tribuisset in annos  
 18 quaelibet imperio rite movenda tuo ! -  
 19 Detegat atque hamos in viscera caeca latentes.  
 20 I nunc, et Medici furta tegenda puta !

AD PHOEBUM SCRIBAM VENETORUM

E\_23 v.1 Phoebe, decus Venetum, patriam qui legibus aequis  
 2 instruis et monitis tollis in astra tuis :  
 3 quam bene conveniunt quae nomina magna parentes  
 4 a puero jam tunc imposuere tibi.  
 5 Nam, velut in superos Phoebus moderamen equorum  
 6 suscipit et clarum conficit orbe diem,  
 7 sic tu quod pater instituit Venetusque senatus  
 8 in lucem profers, Phoebe verende, novam,  
 9 cum dux quas jubeat, patribus de more vocatis,  
 10 quasque, bonus, leges sanciat inde pias,  
 11 has prius ingenio sic tu mediteris et arte,  
 12 consiliis agitans quaeque futura bonis,  
 13 ut modo non aliter Venetos splendescat in omnes  
 14 lux tua per Latias maxima facta domos,  
 15 quam totum Phoebi lux se diffundat in orbem,  
 16 qua nihil astrifero fulget ab axe magis.

AD IULIANUM MEDICEN

E\_24 v.1 Cum mihi quot meditor fortunae commoda desint,  
 2 utque suis ea me privet iniqua bonis,

3 tu, grave ne doleam, causa es : quia, quod negat illa,  
4 suggeris hoc opibus, Jane benigne, tuis.

AD NICOLAUM BURGESIUM SENENSEM

E\_25 v.1 Haec aqua, Burgesi, quae mentem et corpora sanat,  
2 ut reor, Aonio ducit ab amne caput.  
3 Nam, velut Aemonia qui se deus abluit unda  
4 corporis et curas ingenique subit,  
5 sic, ubi tot ciatos Burreo e fonte bibisti,  
6 libera quot morbis reddere membra valent,  
7 factus es hinc reliquis adeo sapientior unus,  
8 ut praecepta tuis vel dare summa queas.

AD BARTHOLOMEUM SCALAM

E\_26 v.1 Cessaris quamvis dudum conscribere carmen,  
2 usaque nec solito sit tua Musa pede,  
3 non tamen amisit studiumque artemque canendi,  
4 sed retinet veteres doctior illa modos.  
5 Nam, tu dum Tusci geris alto in corde Palati  
6 curas, dum patriae scribis et historias,  
7 haec et in Aonias sic est versata puellas,  
8 sic ibi cantantes est imitata deas,  
9 ut, citharam nunc, ecce, novam dum, Scala, resumis,  
10 Pieria assiduos vincat in arte viros.

AD BERNARDUM MICHELOZIUM

E\_27 v.1 Cum modo consulerem Musas, Bernarde, canenti  
2 quae tibi praecipue laus tribuenda foret,  
3 me dea, quae reliquis formosior una deabus,  
4 duxit in umbriferum, Calliopea, nemus.  
5 atque ibi : "Quam lympham - dixit - superantibus undis  
6 et Aganippeo serpere fonte vides  
7 fluminis in morem, ni me modo pulcher Apollo  
8 decipit, est vates, qui tibi, Nalde, canit,  
9 qui tibi Pieria cecinit, Michelozius, arte  
10 carmina, quae laudes sint habitura novas.  
11 Cui si noster amor cunctos bene crescat in annos,  
12 si colat altrices nos, velut ante, suas,  
13 protinus Hesperias nomen sic fundet in oras,  
14 famaue per Latias sic erit aucta domos,  
15 cernis ut hinc tota fluvium regione vagari,  
16 qui nemus hoc vitrea prorsus inundat aqua.

AD BERNARDUM BEMBUM LEGATUM VENETUM

E\_28 v.1 Mittimus, e nostro nuper quae misit agello  
2 villicus, o princeps, persica poma tibi :  
3 quae sint pauca licet, tamen his quoque plura daturus  
4 sum, modo promissis manserit ille suis.



AD BERNARDUM BEMBUM LEGATUM VENETUM DE PERSICIS AD EUM MISSIS,  
QUAE SUPERFUERANT

E\_29 v.1 Armatus curva quamvis cum falce Priapus  
2 arbore servaret mitia poma super,  
3 non tamen hinc potuit nocturnos pellere fures,  
4 quo minus in media persica nocte petant.  
5 Et, nisi quod scelus hoc clamasset protinus ille :  
6 Servantur Veneto qui rapis ista patri !  
7 Omnia clam raperent. Tua sed reverentia, princeps,  
8 fecit, ut hi sinerent haec superesse tibi.

AD BERNARDUM BEMBUM LEGATUM VENETUM  
DE LAUDIBUS FRANCISCI PETRARCHAE ATQUE EIUS PUDICITIAE

E\_30 v.1 Parcite, qui verbis Petrarcam extollere vultis,  
2 dicere, quae cecinit, vera fuisse minus.  
3 Acrior humani quanto fuit ignis amoris  
4 aut quanto in dominam verior ardor erat,  
5 acrius hoc tanto virtutem est ille secutus,  
6 sanctius ingenium praestitit inde suum,  
7 certando superans (vix) saeva Cupidinis arma  
8 ille pudicitiae summa trophaea tulit.  
9 Major enim virtus hostes superare protervos,  
10 quam si, nihil efficiens, otia lenta colas.

AD BERNARDUM BEMBUM LEGATUM VENETUM  
DE BUCOLICIS A SE IN LAURENTIUM MEDICEN SCRIPTIS

E\_31 v.1 Bembe, Syracusio quae sunt mihi condita versu,  
2 haec rogo te placido lumine pauca legas,  
3 acer ut inspicias siquid valeamus, in altos  
4 dum saltus Medicas ductito pastor oves.  
5 Nam, si digna tuo censebis amore futura  
6 atque putes oculis illa legenda tuis,  
7 non ego mox dubitem consurgere in arma ducesque  
8 et canere altisono gesta notanda pede :  
9 iudice sic fiam tanto te, Bembe, superbus,  
10 sic mihi cuncta dabit, te duce, Musa volens !

AD BERNARDUM BEMBUM LEGATUM VENETUM  
DE CARMINIBUS A SE IN IULIANUM MEDICEN CONSCRIPTIS

E\_32 v.1 Cum miranda forent quae maxima Janus in armis  
2 gessit et integram non habitura fidem,  
3 carmina mitto tibi, quibus haec memoramus in aevum  
4 singula, quae Medico sint bene gesta duce,  
5 ut, quantum fidei gestis praestantia rerum  
6 eripit et vero quaeque minora facit,  
7 tantum voce tua, gravior cum testis adesses,  
8 omnibus his valeas addere, Bembe, fidem.

9 Rebus enim cunctis praesens cum forte fuisses,  
 10 legatus Veneta missus ab urbe, pater,  
 11 atque prior fieres podio spectator ab alto  
 12 quae Tusci duro bella tridente gerant,  
 13 qualis et ornatus Medici, quae pompa subesset,  
 14 ut nisi qui vidit credere ficta queat,  
 15 est tua quae gravitas possit ea gesta referre,  
 16 maxima, Bembe, licet, vera fuisse tamen.  
 17 Nemoque tam sancto te quicquam teste negabit,  
 18 haec putet at numeris vera fuisse tuis.

AD BERNARDUM BEMBUM LEGATUM VENETUM DE DUOBUS ARGENTEIS VASCULIS,  
 QUAE AD EUM, QUI DUOS DONO DEDIT LIBROS EI ANTEA, MISERAT

E\_33 v.1 Quam sis magnificus dandis, quam magnus haberis  
 2 muneribus, vel sit quam tibi larga manus,  
 3 optima, Bembe pater, nuper documenta dedisti,  
 4 omnibus illa quidem rite probanda bonis,  
 5 argento e solido pateras cum, Bembe, bilibres  
 6 tradideris juveni, qui tibi dona tulit,  
 7 sed tam parva tamen, pars ut vicesima posset  
 8 reddere pro meritis praemia certa suis.  
 9 Cum tibi donavit parvos ita, Bembe, libellos,  
 10 ut manus hos eadem summeret una duos,  
 11 quam tamen hinc sapias licet aspectare volenti,  
 12 quam modo Pieridum te novus ardor habet :  
 13 nam, foret insignis geminorum nomine vatium  
 14 cum liber, ac propria scriptus uterque manu,  
 15 illa facis tanti tam parva volumina, magno  
 16 prorsus ut argenti pondere habenda putes.

AD IOHANNEM ...

E\_34 v.1 Gratulor ingenio tot maxima facta gerenti,  
 2 gratulor et studiis, dulcis amice, tuis,  
 3 cum tibi pro meritis tribuat Florentia tantum,  
 4 dum leges patria condis in urbe novas,  
 5 quantum Lacedemon tribuit bene grata Lycurgo,  
 6 civibus ut sanxit jura tenenda suis.  
 7 Hac igitur memorandus eris pietate, Johannes,  
 8 in patriam dum sol lucis habebit equos.

CARMEN PETRARCHAE IN LATINOS CONVERSUM NUMEROS

E\_35 v.1 Abstulit, heu, nullis parcens mors improba laurum,  
 2 quae fuit aestivo mollis in umbra cane,  
 3 languenti graviter suaves quae rursus odores  
 4 miscuit, heu, fesso portus et aura mihi.  
 5 Ac, veluti Phoebum tristi soror occulit umbra,  
 6 tollitur ex oculis lux ita summa meis :  
 7 hinc rogo me rapias, quae, mors, mihi danna tulisti ;  
 8 hei, mihi sic animum vexat acerbus amor !  
 9 Tu breve dormisti spatium, pulcherrima rerum ;

10 nunc tamen, e somno libera facta, manes  
 11 hic, ubi caelestes inter versata beatos  
 12 te similem summi conspicias esse Jovis.  
 13 Sis licet at mentes inter celebrata supremas  
 14 notior in superas inde futura domos :  
 15 hic tamen aeternum, siquid mea carmina possunt,  
 16 dicetur toto nomen in orbe tuum.

IN SIMONETTAM MORIENTEM PUELLAM PULCHERRIMAM

E\_36 v.1 Mortua candidior cum sis quam viva fuisses,  
 2 pulchrior inque nigro cum videare rogo,  
 3 te reor hinc stellas jam nunc petiisse volantem  
 4 huc, ubi quam fuerat forma sit aucta magis.

AD LAURENTIUM MEDICEN CARMEN DE LAUDIBUS SIMONETTAE MORIENTIS SCRIBENTEM

E\_37 v.1 Extant signa quidem sis cur, Simonetta, nitenti  
 2 juncta polo, veluti qui cecinere ferunt.  
 3 Sed nihil est, vero quod nunc mage congruat ipsi,  
 4 aut te divinam quod probet inde magis,  
 5 quam facit ingenio Medices Laurentius acri,  
 6 dum caeleste tibi cantat in esse decus.  
 7 Nam, te cum videat superos habitare Penates  
 8 et numerum nitidis addere sideribus,  
 9 divinum sacro carmen tibi protulit ore,  
 10 ut tuus ex merito sic celebretur honos.

AD BERNARDUM BEMBUM DE CARMINIBUS AD EUM MISSIS,  
 QUAE LONGE ANTEA SCRIPSISSET

E\_38 v.1 Bembe, quod a puero cepi modularier olim,  
 2 carminis exemplum nunc ego mitto tibi.  
 3 Cujus et in primo spectabis, amice, libello  
 4 quas amor in miseros ventilet usque faces ;  
 5 at liber inde dabit, fallor nisi, Bembe, secundus  
 6 quicquid et in varios haec mea Musa canit ;  
 7 tertius hinc Medicum summos meditatus honores  
 8 dicet Apollinea facta canenda lyra.  
 9 Ergo, siqua tui vatis tibi cura supersit,  
 10 te precor haec hilari singula fronte legas,  
 11 ut tibi cui notum quae mens animusque futurus  
 12 sit mihi Pieria bella referre tuba,  
 13 haec quoque nosse queas teneris, Bernarde, sub annis,  
 14 quae lusit numeris prima juvena suis.

AD BERNARDUM BEMBUM DE DUABUS EPISTOLIS, QUAE VERSIBUS AD EUM SCRIPSIT

E\_39 v.1 En tibi bina, pater, quam Naldus, epistola, mittit  
 2 Naldius, ingenio non aliena tuo :  
 3 altera, legitimum castumque notabit amorem,  
 4 cujus inest Helenae maxima cura tuae,

5 altera quam caste te gesseris usque docebit,  
 6 orator Veneta dum procul urbe manes.  
 7 Siqua meis aderit numeris tibi forte voluptas,  
 8 pars decet uxori sit sua, Bembe, tuae :  
 9 femina nam Venetas inter primaria cum sit,  
 10 castior Illyricas inter habenda nurus,  
 11 convenit ut partes ex te cognoscat honoris,  
 12 est quem carminibus nunc habitura meis.  
 13 Conjugis ergo piaie si jura pudica movebunt,  
 14 atque eris uxori par in amore pari,  
 15 es velut, ista leges Helenae, quaecumque fuerunt  
 16 de se, Bembe, mea scripta notata manu,  
 17 ut sciat haec, nuribus quae sint praeconia castis  
 18 laudis, et ingenio gaudeat illa suo.

AD BERNARDUM BEMBUM LEGATUM VENETUM DE EIUS A FLORENTINA URBE DISCESSU

E\_40 v.1 Siquis erit, sortes hominum qui ducat iniquas,  
 2 aut putet in terris qui nihil esse diu,  
 3 in te convertens oculos, Bernarde, videbit  
 4 rebus in humanis longius esse nihil,  
 5 atque hunc, Socraticos monitus qui scripserat olim,  
 6 vera quidem veris concinuisse modis,  
 7 usque voluptati cum dixit inesse dolorem,  
 8 triste quid ut semper subsequeretur eam.  
 9 Nam te quid Tusca jam pridem vidimus urbe  
 10 laetius aut quem nunc diligat illa magis ?  
 11 Te pueri juvenesque simul florensque senatus  
 12 et colit et laudes tollit in astra tuas ;  
 13 teque domus Medicum summo dignata decore  
 14 delicias patriae te putat esse tuae ;  
 15 teque pii vates numen venerantur amicum,  
 16 quisquis et Haemonio mersit in amne caput,  
 17 ut te legitimum meritis pro talibus in se  
 18 jure suo vocitet quaeque Camena patrem :  
 19 sed nihil ista juvant, urbs te cum maxima rerum  
 20 jusserit in Venetos nunc remeare Lares.  
 21 Sic, cum summa, pater, de te sit sumpta voluptas,  
 22 dum licet, atque tuo dum datur ore frui,  
 23 sit dolor ipse gravis, quem nunc subeamus, oportet,  
 24 discessu qui nos tam premit usque tuo.

AD BERNARDUM BEMBUM DE PERICULO QUOD SUBIIT NON PROCUL AB URBE FLORENTINA,  
DUM HONORIFICENTISSIMO VENETAE LEGATIONIS MUNERE PERFUNCTUS IN PATRIAM REDIRET

E\_41 v.1 Audieram veluti tu saeva pericla subisti,  
 2 exciperet cum te quartus ab urbe lapis.  
 3 Nec mora ; consului Tyrrheni oracula Panis,  
 4 qui deus ex aditis hos dedit ore sonos :  
 5 Moenia cum nollem tali privata decore  
 6 Tusca, quidem Bembus qualis in urbe fuit,  
 7 his iter in patriam manibus cum carperet acer  
 8 disrupti subito frena fugacis equi,  
 9 Prorsus ut augurio graviori territus ille

10           mallet in Etruscas inde redire domos.  
 11 Haec ego : sed frustra ! Nam, cum Laurentius acer  
 12           traderet huic mulum, quo bene vectus erat,  
 13 ausus, Nalde, fui, Medicum devinctus honore,  
 14           amplius in Bembum non ego ferre manus.  
 15 Sic abit is, liber, vel moenia tristia linquens,  
 16           a quibus, heu, lacrimas vidimus ire pias.

AD PETRUM MULINUM LEGATUM VENETUM

E\_42   v.1   Forsitan, ante, tuos me non celebrasse Penates  
           2           miraris, decuit me velut ante, pater.  
           3 Desine mirari : non est tua culpa, benigno  
           4           ingenio capias cum, Petre, quemque tuo ;  
           5 hac quoque me culpa penitus caruisse necesse est,  
           6           usque tuos cupiam cum celebrare Lares.  
           7 Est tua sed gravitas oris tibi tanta severi,  
           8           deque tuo tantum provenit ore decus,  
           9 dum quod Aristotelis tradit, quod docta vetustas  
 10           pellegit et quicquid dogmata prisca monent,  
 11 ut neque philosophi gravitatem attingere possim,  
 12           assuetus levibus, Petre verende, modis.  
 13 At, cum conspiciam, divino accensus amore  
 14           ut summi cupias scandere summa poli,  
 15 ut teneas quicquid de se natura deorum  
 16           tradidit et superas quis regat arte domos,  
 17 horreo tum vero divinum attingere honorem  
 18           protinus atque tuas inde subire fores.

AD BERNARDUM BEMBUM DE FEBRI QUAE EUM STATIM,  
 UBI VENETIAS REDIIIT, ACRIOR INVASERAT

E\_43   v.1   Audierant in te Lydae modo, Bembe, Camenae  
           2           sontica quam graviter sit scelus ausa febris,  
           3 hinc adeunt Phoebum, medicas qui tradidit artes,  
           4           talibus ac faciunt talia verba modis :  
           5 "Phoebe, decus vatum, sanandi et corporis auctor -  
           6           utraque nam, pater, est subdita cura tibi -,  
           7 orator Tusca Musis comitantibus urbe  
           8           ut Bembus rediit, pulcher Apollo, tenes,  
           9 nec fugit in Venetos quot sint sua praestita cives,  
 10           quam bene se in patriam gesserit ille suam.  
 11 Cum tamen haec ita sint, in Bembum protinus ausa  
 12           est febris ignitas torrida ferre manus.  
 13 Ergo, per currusque tuos lucemque tuam, te  
 14           optima nunc petimus pharmaca quaeque feras.  
 15 Expetit hoc virtus, ut morbo liber ab omni,  
 16           usque valens patriae consulat ille suae."  
 17 Annuit, et dixit : "Fiet quodcumque petistis,  
 18           Bembus Apollineae summat ut artis opem."

## AD LAURENTIUM MEDICEN DE COSMO EIUS AVO

E\_44 v.1 Ecce, dies rediens augusti primus adest, qui  
 2 semper honoratus, semper acerbus erit,  
 3 Hoc quia nos Cosmo maestas sacravimus aras  
 4 fudimus atque piis annua tura focis.  
 5 Sancte pater patriae, Lydos, velut ante solebas,  
 6 dum coleres terram, respice, Cosme, Lares :  
 7 candidus a nobis pestem defende malignam  
 8 atque gravem Tusca pellito ab urbe famem.  
 9 Quod satis efficies, magnum si, Cosme, nepotem  
 10 servabis, Latii qui decus omne soli.  
 11 Hoc duce non hostes umquam metuemus iniquos,  
 12 sed bona tranquillae tempora pacis erunt ;  
 13 hoc duce dira lues Orcum trudetur ad imum,  
 14 saevior Etruscos nec grave morbus aget,  
 15 quin aderit pleno semper bona copia cornu,  
 16 latius ut fruges spargat amica novas.  
 17 Ducito, Laurenti, vatem tibi vera canentem,  
 18 si verus monitis implet Apollo suis.

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_45 v.1 Siquid avo debes, siqua est reverentia patri  
 2 debita, si Musis debitus extat honos,  
 3 hos lege, quos versus Erato dictavit amanti :  
 4 praescipsit monitis haec mihi diva suis,  
 5 ut canerem Cosmumque prius Petrumque parentem,  
 6 a te siqua petens obtinuisse velim.  
 7 Nam fore dicebat, sequerer si jussa monentis,  
 8 ut legeres oculis carmina nostra bonis.  
 9 Cui cum paruerim, facias decet ista libenter :  
 10 est dea, quae de te vaticinata mihi.  
 11 Quod, nisi Cosmus avus, nisi me pater ipse juvabit,  
 12 proderit atque mihi nunc nisi Musa volens,  
 13 Laurenti, non est quod jam implorare queamus,  
 14 ferre nec ulterius quod mihi possit opem.

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_46 v.1 Te rogo ne nostri quoquam tibi cura recedat,  
 2 neve sinas zephiros verba tulisse mea.  
 3 Optima quaeque dies fugitat, nec Parca tenorem  
 4 improba desistit continuare suum :  
 5 qui puer incepti Medicos celebrare Penates,  
 6 albescit capiti tempus utrumque mihi.  
 7 Lustra quot, heu, jam tunc, quot praeteriere kalendae,  
 8 quot mihi promissi praeteriere dies !  
 9 Si patiare, suis qui te coluere Camenis,  
 10 versibus ac Medicam qui cecinere domum,  
 11 aut inhonoratos aut laudis egere merentes,  
 12 hinc, tibi, Laurenti, gloria nulla venit.  
 13 Ergo nec exspectes, spes o fidissima nostri,  
 14 siquid es in vates exhibiturus opis,

15 dum premat aut fatum, caros aut inde necesse  
16 sit, male ne pereant, deseruisse Lares.

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_47 v.1 Mutius ut quondam, sacros qui tempserat ignes  
2 hic, ubi deceptam torruit ille manum,  
3 trecentos dixit Romae jurasse Quirites,  
4 linqueret ut Latiam Porsena victus humum :  
5 sic modo, Laurenti, mea nunc epigrammata contra  
6 jurarunt qua te protinus arte petant,  
7 multorum donec, Medices, superatus ab uno,  
8 de multis unum quae volet efficias.

## IN MATHEUM PALMERIUM

E\_48 v.1 Siqua tui vatis Mathei cura tenet te,  
2 si, dea, promeritis es neque grata parum,  
3 hunc ne, Musa, sinas verbis lacerarier atris,  
4 neve sit ut linguis praeda futura malis.  
5 Aonas in montes quoniam deductus, ab antro  
6 hausit Apollineo, Phoebe, quod arte mones,  
7 scriberet historias illinc ut doctus et acri  
8 tempora digereret quaelibet acta nota,  
9 bellaque narraret, populus quae Tuscus in oris  
10 Parrhasiis fausta maxima gessit ave,  
11 ut praecepta daret vitae civilis in omnes,  
12 civibus illa quidem rite tuenda bonis,  
13 denique vel quicquid memorat Cumaea Sibylla,  
14 cui comes extiterat, dum nova facta canit.  
15 Adde huc quae Tusci fuerit sibi cura Palati,  
16 se bene pro patria gessit ut ille sua.  
17 Invide, quid laceras igitur tot honesta ferentem  
18 undique Palmerium ? Lingua maligna, tace !

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_49 v.1 Imperium multis tribuerunt fata supremum,  
2 saepe sed hi faciunt quod potuere minus,  
3 acrius ingenium desit quia viribus amplis,  
4 ut quod quisque valet non agat inde tamen.  
5 At modo cui rerum fato data summa potestas,  
6 cui datur ingenio vincere quemque tuo,  
7 ut quaecumque voles eadem pia fata sequantur -  
8 sic sapis, o Medices, omnia sicque potes - :  
9 te rogo, Laurenti, quae scis bona, quae potes, ante  
10 quam nos Parca rapit, constituisse velis.

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_50 v.1 Multi multa ferunt, Laurenti, verba, sed illa  
2 prorsus ab ingenio sunt aliena meo,

3 cum tibi, quos canimus versus, quae carmina, dicant,  
 4 haec coepisse quidem taedia ferre sui.  
 5 Quod nisi jam fieret, referunt potuisse moveri  
 6 te, semel ut faceres saepe quod illa petunt :  
 7 scilicet ut sedes patriis quoque vatibus ulla  
 8 sit data, ne Musis longius erret honos.  
 9 Ast ego quae jactant verbis respondeo : Cum sis  
 10 Pieridum tota solus in urbe pater,  
 11 quae Musae dictant aut quae gravis auctor Apollo  
 12 non debere quidem displicuisse tibi ;  
 13 quod tamen haud facias quae sis meditaturs agenda,  
 14 posse satis, Medices, te puto, velle nego,  
 15 cum non dum ratio permittat ut illa facessas,  
 16 teque sit hanc praeter quod juvet inde nihil.

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_51 v.1 Ut medicus, Medices Laurenti, summus haberis  
 2 omnibus his, curam qui subiere tuam,  
 3 sic rogo : cum validum corpus mihi feceris et cum  
 4 tradideris quo me vivere posse putem,  
 5 hunc mihi, quem soliti fuerant dare rursus aliptae,  
 6 des, bene qui validis debet inesse color.  
 7 Nec tamen exspectes, ut nunc ego magnus Etrusca  
 8 sim dominus per te factus in urbe petam :  
 9 id peto, Laurenti, fieri tunc posse videri,  
 10 cum dabis, aut aptus cum tibi visus ero.

## AD ANDREAM VENDRAMINUM VENETORUM PRINCIPEM

E\_52 v.1 Quamquam, summe pater, penitus quos diligis omnes,  
 2 Vendramine, viros gloria summa manet,  
 3 attamen, e signis quoniam manifestius illud  
 4 cernitur et quae mens sit tibi signa probant,  
 5 te rogo sic animus quam sit tuus optimus in me  
 6 ostendas aliqua, dux, mihi, summe, nota,  
 7 omnibus ut pateat quo me digneris honore,  
 8 aut prope te teneat quem mea Musa locum.

## FEDERIGO DUCI URBINATI

E\_53 v.1 Mecenas Caesarque, illis clementior unus,  
 2 quos tulit antiqui terra beata Remi,  
 3 dum fortuna fuit, dum prisca temporis aetas  
 4 vatibus attulerant praemia certa bonis :  
 5 non tamen haec sperem, cum tanto pessimus horum  
 6 en ego sim vatum, qui cecinere prius,  
 7 tu regum quanto dator optimus omnibus illis,  
 8 qui scriptis aliquid promerere suis.  
 9 Id modo te, princeps, tantum mihi, summe, rogabo,  
 10 quod capit, ut mos est, hostis ab hoste datum :  
 11 ut mihi rescribas, jaceam ne principe tanto,  
 12 si nihil attuleris, iudice semper ego.



## DULCI IURECONSULTO NOBILI

E\_54 v.1 Quam tibi conveniens nomen posuere parentes,  
 2 par fuit ingenio quam tibi sorte datum !  
 3 Nomine nam proprio Dulces ut forte vocaris,  
 4 utque tuum nomen nil nisi dulce sonat,  
 5 sic tibi sunt mores dulces, tibi dulcia passim  
 6 verba fluunt, dulci provenit ore melos.

## AD EUNDEM DULCEM

E\_55 v.1 Non quia sit magnum nos nunc quod mittimus ad te,  
 2 sed quia nominibus convenit usque tuis :  
 3 dulce tuum nomen, sunt haec quoque dulcia vina,  
 4 quae damus ut, Dulces, nil nisi dulce bibas.

## AD SE IPSUM

E\_56 v.1 Nil mihi vobiscum : valeas, pharetrate Cupido,  
 2 jam Venus et Veneris turba jocosa, vale !  
 3 Nam, mihi quae vita fuerat jocundior ipsa,  
 4 quae fuit atque oculis carior una meis,  
 5 jam mihi nunc alium praeponit iniqua videnti  
 6 et jubet in regno regna tenere meo.

## AD ANTONIUM SACERDOTEM

E\_57 v.1 In mare dum fluvii current, dum lucidus astra  
 2 sol aget, aut pisces frigidus humor alet,  
 3 nomen et ingeniumque tuum laus usque manebit,  
 4 longaque posteritas nec minuisse queat :  
 5 non modo quod nuper nobis ea poma libenter  
 6 misisti, Alcinous qualia ferre solet,  
 7 sed tibi quod vati dictant nova carmina Musae,  
 8 et favet ingenio pulcher Apollo tuo.

## AD PINUM ORDELAPHUM FORILIVII PRINCIPEM

E\_58 v.1 Quam bene, Pine, tibi nomen posuere parentes  
 2 arboris, alta sua quae petit astra coma :  
 3 nam, velut ipsa gravi fortissima robore pinus  
 4 exsuperat quicquid fertilis hortus habet,  
 5 sic virtute duces, Martem quicumque sequuntur,  
 6 Flamineos superas, Pine verende, tua.

## AD PINUM EUNDEM DE LAUDIBUS LUCRETIAE UXORIS

E\_59 v.1 Felix sorte tua - nam te neque clarior alter  
 2 est neque Flamineo major in orbe viget - ,

3 fortunatus et uxoris virtute canentis  
 4 omina, quae sortem sint habitura bonam.  
 5 Nam velut urbe Remi nympham rex maximus olim  
 6 dicitur Egeriam consuluisse Numa,  
 7 Romanis legesque novas aut sacra daturus  
 8 aut quoties mores impositurus erat,  
 9 sic quodcumque domi, foris est quodcumque gerendum,  
 10 uxorem veluti consulis ante deam,  
 11 ut, quantum dedit illa Numae dea prisca favoris,  
 12 dum bene Romuleos temperat arte patres,  
 13 uxor, Pine, tibi tribuat Lucretia tantum,  
 14 egregia populos dum regis arte tuos.

AD LUCRETIAM PINI FORILIVII PRINCIPIS UXOREM

E\_60 v.1 Roma tuum quondam, Lucretia, prisca decorem  
 2 laudibus in caelum sustulit alta suis ;  
 3 altera Flamineis Lucretia fulget in oris  
 4 Romana in nulla parte futura minor.  
 5 Namque pudicitiae proprium sic servat honorem,  
 6 sic facit in sanctis sacra pianda focis,  
 7 castior ut tota non inveniatur in urbe  
 8 ulla, nec in superos relligiosa magis.

AD EANDEM LUCRETIAM PINI FORILIVII PRINCIPIS UXOREM

E\_61 v.1 Si me nosse velis cupidum quae causa coegit,  
 2 ut peterem vestros, diva benigna, Lares :  
 3 Tu, ne falsa canam, Lucretia docta, fuisti,  
 4 huc iter ut caperem, maxima causa mihi,  
 5 quod mihi te talem sperabam in cuncta futuram  
 6 Aeneae qualis prisca Sibylla fuit,  
 7 Italiam Trojae postquam depulsus ab oris  
 8 venerat, Iliacas igne cremante domos.  
 9 Ergo, si quod erat Phrygio Cumaea parenti,  
 10 hoc itidem, vates, sis mihi rursus idem,  
 11 ut possim, sacro quae vaticinans ab antro,  
 12 auribus accipiens illa notare meis,  
 13 talibus auspiciis non sum minor inde futurus,  
 14 ut reor, Ascanii quam fuit ante pater :  
 15 ingenium tanti facio, Lucretia, summum,  
 16 quod tibi nascenti Calliopea dedit.

AD PINUM FORILIVII PRINCIPEM

E\_62 v.1 Militiae cum sis primas ducturus habenas,  
 2 dentur et auspiciis bella gerenda tuis,  
 3 efficit hoc virtus primum tua, Pine, per orbem  
 4 illa quidem gravibus concelebranda modis  
 5 inde facit Xistus, cum te velit esse supremum  
 6 fortes inter equos inter et arma ducem.

## IN FRANCISCUM ARCULANUM MORIENTEM

E\_63 v.1 Quid te forma decens tenerum, Francisce, quid aetas  
 2 culta, quid usque tibi vita pudica juvat,  
 3 si nimis ante diem raptus puerilibus annis  
 4 deseris, heu, nigris corpus inane rogis ?

## AD PEREGRINUM PINI FORILIVIENSIS SCRIBAM

E\_64 v.1 Cum te quid facerent comites, Peregrine, rogarem  
 2 de mensa domini quod superesset, ais :  
 3 "Hac licet id vetitum sit tempestate, sit alti  
 4 id vetitum Christi relligione licet,  
 5 principis e cena carnis quod restat, hianti  
 6 ore minister habens devorat omne suo."

## AD PEREGRINUM EUNDEM

E\_65 v.1 Quis decor in facie siquis, Peregrine, notabit,  
 2 aut tibi sit toto quantus in ore modus,  
 3 aut bene quam versu doctos imitere poetas,  
 4 utque facis numeris carmina blanda bonis :  
 5 aptior hoc Musis qui sit placidaeve quieti,  
 6 Flaminea - dicet - nullus in urbe manet.  
 7 Siquis at interdum te fortia verba loquentem  
 8 audiat et fortes tollere in astra viros,  
 9 et jactare acies Pompeianosque triumphos  
 10 et duce Pompeio grandius esse nihil,  
 11 agnoscens animos, notat ille ferocia corda,  
 12 pectore quae gestas, dulcis amice, tuo.

## AD IOHANNEM BENCIUM SACERDOTEM

E\_66 v.1 Candida cum fuerit semper tibi vita, Johannes,  
 2 moribus atque tibi culta sit illa probis,  
 3 cumque ita Pieridas libeat coluisse puellas,  
 4 cura sit ut studium par in utrumque tua :  
 5 Livia jure tibi datur erudienda juvenus,  
 6 vir quod et ingenio sis quod et arte bonus.

DE PUELLA FORILIVIENSI NOMINE HELENA, QUAE A SPONSO CUPIDIORE  
 RAPTA FUERAT E TEMPLO QUODAM OB AMORIS IMPATIENTIAM

E\_67 v.1 Quae fuit a priscis Helene vocitata Pelasgis,  
 2 haec Paridi Phrygio facta rapina fuit ;  
 3 altera Flamineas Helene vocitata per urbes  
 4 est iterum fato rapta puella gravi.  
 5 Nam, Paris exitium velut ante sibique suisque  
 6 sustulit accensas in sua tecta faces,  
 7 sic miser insani stimulis agitatus amoris,  
 8 dum rapit a templis membra cupita sacris,  
 9 Granellus, penis graviter confectus amaris,

10           perdidit infelix seque suamque domum.

AD PINUM DE PENA IN GRANELLUM HELENAE RAPTOREM ILLATA

E\_68    v.1    Quam sapis hinc, princeps, licet aspectare volenti,  
           2            quae tibi sit patriae quantaque cura tuae :  
           3            cum Paris audisses velut acre dedisset, adulter,  
           4            civibus exitium tempus in omne suis,  
           5            Ilion ut ducibus Trojanaque moenia Grais  
           6            tunc ob adulterium diruta tota forent,  
           7            Tyndariden Helenam postquam Lacedemone pastor  
           8            sustulit et Phrygias vexit ab urbe domos,  
           9            praecipis, ecce, tua qui raptor in urbe puellae  
           10           nunc fuit, in poenas corruat ille graves,  
           11           qui templo castos violare sit ausus honores  
           12           criminis ultorem credat ut esse deum.

AD RUFUM NUMAGLIUM PINI PRINCIPIS FORILIVIENSIS SCRIBAM

E\_69    v.1    Rufe, pater vatum, carmen cui dictat Apollo,  
           2            cui tribuit numeros Calliopea suos :  
           3            sic sis deliciae domini, velut ante fuisti  
           4            semper et optanti cuncta det ille tibi,  
           5            fac tua me magno commendet gratia Pino,  
           6            fac ita, me meritis diligat ille tuis,  
           7            ut tua quod per me nequeam clementia possit,  
           8            et mea quod non dat, det tua Musa mihi.

AD IOHANNEM EIUSDEM PINI SCRIBAM

E\_70    v.1    Cum doctrina tibi, cum sit prudentia rerum  
           2            quanta nec in multis cernitur esse viris,  
           3            cum quoque sit, quoties tibi rex arcana, Johannes,  
           4            detegit, ut teneas, tam tibi sancta fides,  
           5            evenit ut Pinus tantum tibi praestet honoris,  
           6            virtuti quantus convenit inde tuae.

DE DIE QUO MARIAE NUNTIATUM EST UT ERAT, LICET VIRGO,  
 CHRISTUM DEUM O. M. PARITURA

E\_71    v.1    Ecce dies, superis est cum tibi missus ab oris  
           2            nuntius, ut castas funderet ore preces :  
           3            Tu tamen ut primum sensisti verba loquentis  
           4            plena timore gravi corda fuere tibi ;  
           5            mox, ubi nota satis fuerant mandata Tonantis,  
           6            cessisti summo, virgo benigna, deo,  
           7            parta salus hominum per te venit unde, nec ullus  
           8            te duce Tartarei contremet ora canis.

AD BAVERIUM BONONIENSEM FORILIVIUM VENIENTEM,  
UT CURAM SUSCIPERET PINI AEGROTANTIS FORILIVII PRINCIPIS

E\_72 v.1 Cum deus hic idem, Baveri, et carminis auctor  
2 et medicae fuerit, docte, repertor opis -  
3 siquid vera canunt vates memoratque vetustas,  
4 siqua viris priscis est adhibenda fides - ,  
5 debuit ista tibi venienti occurrere Musa,  
6 teque salutandi prima tenere locum.  
7 Ausa tamen non est : tua sic reverentia fregit  
8 conspectum titubans illa subire tuum.  
9 Ast, ubi te novit servato principe summis  
10 artibus in patrios velle redire Lares,  
11 audax facta sui rupit modo cuncta timoris  
12 vincula, quae pavidam detinuere prius,  
13 visat ut illa virum, cui tam bene pulcher Apollo  
14 curanti medicam tradidit auctor opem,  
15 cedat ut Italiae tellus tibi tota medenti,  
16 Baveri, patriae gloria magna tuae.

AD BAVERIUM EUNDEM DE DISCESSU EIUS POST PINI CURATIONEM  
AB URBE FORILIVIENSI

E\_73 v.1 Qualis erat Lyciae tellus, ubi cessit ab illa  
2 inque vices Delon visit Apollo suam,  
3 cum genitale solum maternaque regna sub aestu  
4 expetit hibernas destituitque domos,  
5 talis item nobis te docta Bononia postquam  
6 et vocat et patrios cogit adire Lares,  
7 talis et ipse dies noctique simillimus atrae  
8 extitit, ex illo luxque maligna fuit :  
9 tam graviter tulimus digressu maesta supremo  
10 Livia te nuper destituisse fora.  
11 Ista sed interdum de te solatia restant,  
12 causaque tristitiam mitigat ista gravem :  
13 quod, velut hic idem Phoebus, licet ardua mundi  
14 deserat et rapidis ima subintret equis,  
15 occultas bonus ille tamen dat in omnia vires,  
16 vimque calore suo mittit in arva prius -  
17 ut, sol donec abest, etiam sub nocte silenti  
18 progenuisse queat multa latenter humus - ,  
19 sic ea tu nobis abiens praecepta dedisti,  
20 Baveri, Latii fama decusque soli,  
21 nullus ut ignoret nascenti occurrere morbo,  
22 arte sit aut quali cuique tuenda salus.

AD FAUSTUM FORILIVIENSEM

E\_74 v.1 Fauste, tuum carmen, nuper quod Apolline dextro  
2 tam bene Pieria doctus ab arte canis,  
3 tale fuisse putes ac tam mihi dulce, per aestum  
4 quale sitim gelida pellere fontis aqua,  
5 quale vel in tenera mollique sedentibus herba  
6 est, ubi grata quies corpora fessa levat.  
7 Nam, modo cum medio lymphas Helicone petitas

8 hauseris atque sacro meriseris amne caput,  
 9 fit, velut Amphion Thebana in moenia quondam  
 10 inque novum lapides carmine movit opus :  
 11 sic tibi sint pariter divino ex ore canenti  
 12 rursus Apollinea saxa movenda lyra.

AD RUBERTUM URSUM ARIMINENSEM IURECONSULTUM NOBILEM

E\_75 v.1 Urse, quod affirmas raptum tibi jure videri  
 2 Marsilium, Paulus dum canit ut rapitur,  
 3 sidera dum scribit quae mens habitatque tenetque  
 4 splendida, caelestes quis regat arte domos,  
 5 sentio quod sentis, cum sit divinitus illi  
 6 ingenium mira de Jove sorte datum.  
 7 Sed tamen hoc addo : si raptus in astra sit ille,  
 8 ut canis, egregium quo meditetur opus,  
 9 te quoque Pieridas vatem rapuisse puellas,  
 10 dum facis Aonio carmina digna choro.

AD HECTOREM FORILIVIENSEM

E\_76 v.1 Cui mirum si te princeps velut alter Orestes  
 2 et cupit et toto pectore Pinus amat :  
 3 gratia supremo Jovis haec tibi venit ab astro,  
 4 haec data de summo gratia summa deo,  
 5 regibus ingenio placeas et ut arte magistra  
 6 sint tibi sive domi sive gerenda foris.  
 7 Hinc tibi tota domus splendet ; tibi tota supellex  
 8 regia, sunt mores, regius est animus,  
 9 regius est sermo, facies tibi regia certe,  
 10 regius est habitus, regia verba, fides :  
 11 nomina quin etiam, nequid tibi regis abesset,  
 12 Hectoris imposuit Parca benigna tibi.

AD NICOLAUM SACERDOTEM HECTORIS FORILIVIENSIS FRATREM

E\_77 v.1 Tyndaridae veluti toto splendentia caelo  
 2 astra micant, nautis semper amica bonis,  
 3 sic, Nicolae, micas caro cum fratre per urbem  
 4 Flamineam, doctis portus et aura viris.  
 5 Hector at urbanis frater rebusque gerendis  
 6 instat, ut inde suos sidera tangat apex,  
 7 at tu, divinos cum relligionis honores  
 8 attingas, famae consulis inde tuae.

AD GEORGIUM FORILIVIENSEM

E\_78 v.1 Georgi, cives inter numerande modestos,  
 2 Georgi, patriae pars quoque magna tuae,  
 3 diceris, es veluti, propria virtute beatus  
 4 et natis felix diceris esse tribus.  
 5 Sed, quamquam causis tot fortunatus haberis,

6 quot, modo si cupiam, non ego ferre queam,  
 7 ulla tamen gravior non est neque major habenda  
 8 aut mage Flamineis quae placitura viris,  
 9 quam tibi quod natos similes in cuncta parenti  
 10 civibus enutris spemque decusque tuis.  
 11 Quorum qui major legatus in urbe Quirini  
 12 procurat domini quaeque gerenda sui ;  
 13 alter agit curas edoctus ubique paternas  
 14 tractat et ingenio quaelibet ampla gravi ;  
 15 tertius at Musas sequitur nec cedit honori  
 16 majorum, quanvis sit puer ille tibi.  
 17 Quam tibi fortunam cumulat, tua maxima Pinus  
 18 dum fovet, atque sua vos tegit alta coma !

## AD FRANCISCUM GEORGII FORILIVIENSIS FILIUM

E\_79 v.1 Audio te Graias pariter coluisse Camenas,  
 2 dum quoque tu Latias excolis arte deas :  
 3 gratulor unde tibi teneris, Francisce, sub annis  
 4 tam bene te linguas edidicisse duas.

## AD LODOVICUM GEORGII FORILIVIENSIS FILIUM

E\_80 v.1 Hortor, ut ipse facis per te, Lodovice, libenter  
 2 Musarum studiis invigilare velis :  
 3 haec tibi namque dabunt famam superare tuorum  
 4 atque dabunt meritis praemia certa tuis,  
 5 tu modo Pieridas semper venerere, nec ullo  
 6 hic tibi tam sanctus tempore cesset amor.

## AD PINUM FORILIVII PRINCIPEM

E\_81 v.1 Diceris argenti dare nunc auri que talenta  
 2 militibus bello, Pine verende, bonis :  
 3 Palladis en ego sum miles tua signa secutus,  
 4 et tua sum miles castra secutus, ego !  
 5 Nam facit ut sapiant homines Tritonia virgo,  
 6 haec eadem fortes ducit ad arma viros :  
 7 unde manu Phoebum dextra Martemque sinistra  
 8 sustinet et partes providet una duas.  
 9 Cum sapiens igitur dux sis, cum fortis et idem,  
 10 dupliciter studiis convenit illa tuis.

## AD PINUM FORILIVII PRINCIPEM

E\_82 v.1 Si, Deus omnipotens, tibi sunt Foralivia curae,  
 2 a morbo Pinum, qui regit illa, tege :  
 3 principe servato multos servabis in uno,  
 4 cum domini quibus est juncta salute salus.  
 5 Nam populum virtute nova sic Pinus et urbem,  
 6 egregia cives sic regit arte suos,  
 7 quilibet ut vocitet superos in vota benignos,

8            quae bene pro domino vix numeranda facit.  
 9        Haec ego. Tum pater ad natum conversus, Olympum  
 10        lampade qui lustrat, talia voce dedit :  
 11        "Phoebe, decus caeli, nitidas huc siste quadrigas,  
 12        dum volo te paucis verbaque pauca loquor.  
 13        Aegrotat Pinus, terras qui legibus aequis,  
 14        Livia quique pari nunc fora lance regit ;  
 15        ne pereat, populoque suo tam gratus, et urbi  
 16        tam bene qui nobis sacra pianda facit,  
 17        huic medicas adhibeto manus, ut sentiat orbis  
 18        imus et in terris qui posuere domos,  
 19        me curare probos homines, curare salutem  
 20        his, quibus Erigone culta, quibusve fides."  
 21        Dixerat. Ille, patris monitus ubi cepit honestos,  
 22        Phoebus ab excelso pauca locutus ait :  
 23        "Nalde, velim referas Pino, Saturnia febris  
 24        quem tenet et gravibus vexat iniqua modis,  
 25        me fore facturum, ne tam sibi triste minantis  
 26        frigida Saturni stella nocere queat."  
 27        Haec ubi dicta dedit, celeres agit inde quadrigas  
 28        donec in occiduos aequore mersit equos.

AD ANDREAM VENDRAMINUM VENETORUM PRINCIPEM

E\_83    v.1        Salve, magna parens Venetum, Venetique Penates,  
           2            altisoni salve regia summa Jovis :  
           3            nam mihi sic visa est, cum primum vidimus arces  
           4            auratas liquidi, mira tuenda, maris.  
           5            Qualis enim princeps hominum pater atque deorum  
           6            ad nova Caelestes facta gerenda vocat,  
           7            talis et Illyrica princeps in sede locatus  
           8            egregia cives temperat arte suos.  
           9            Sed magis hoc certe fit tempore, cum gravis auctor  
 10        Vendraminus agit quaeque gerenda prior,  
 11        cum prior eloquitur, cum cetera turba senatus  
 12        excipit inde sui dicta probanda ducis.  
 13        Quos ubi tu videas missos penetralibus altis,  
 14        principe de tanto quemque redire domum,  
 15        esse quidem dicas reges regumque parentes,  
 16        quos habet Illyrici nobilis unda maris.

AD DEUM IMMORTALEM

E\_84    v.1        Te, deus omnipotens, parent cui regia caeli  
           2            aurea, cui parent sidera, terra, fretum,  
           3            te rogo, ne canis attollens tria, Cerberus, ora  
           4            insultet capiti, bellua saeva, meo,  
           5            neve mihi tristes misero voret improbus artus,  
           6            sedeque nec mentem cogat abire sua.  
           7            Fac addicta tibi semper, tibi dedita semper  
           8            sit mea mens, vitiis haud violanda malis,  
           9            ut tibi cuncta libens, quae sint placitura, facessat,  
 10        gaudeat inque tuo semper amica sinu.



## AD PHOEBUM CAPELLAM VENETORUM SCRIBAM

E\_85 v.1 Cui mirum, si nunc illustrior omnibus una  
 2 urbs Venetum toto splendet in orbe magis.  
 3 In faciem reliquas Phoebus superaspicit urbes,  
 4 Phoebus et exterior lustrat ubique solum ;  
 5 at Veneti retinent intra sua viscera Phoebum :  
 6 a Venetis oriens Phoebus in astra micat.

## AD ALOISIUM ZENUM PATRITIUM VENETUM

E\_86 v.1 Cum tibi Calliope numeros det amica petenti,  
 2 tu quibus Etrusce carmina docta canas -  
 3 ut puto, ni verus nunc me frustratur Apollo,  
 4 vaticinansque deus me nisi falsa docet - :  
 5 Florentina suo veluti se jactat alumno  
 6 patria, cui nomen grande Petrarca fuit,  
 7 sic, bene dum Tusca cantas Aloisius arte,  
 8 scribis et Etruscis plura notata modis,  
 9 te quoque magna suum se dicet habere poetam  
 10 urbs Venetum numeris facta beata tuis.

## AD FRANCISCUM THRONUM PATRITIUM VENETUM

E\_87 v.1 Doctior ipse, favens verbis opibusque poetis,  
 2 Pollio vir Latia magnus in urbe fuit ;  
 3 Maecenas itidem, favor et tutela merenti,  
 4 egregiam docto cuique ferebat opem :  
 5 tu pariter quod uterque dabat, quod uterque gerebat,  
 6 das quoque promeritis, Throne benigne, viris,  
 7 es quia patricius Veneta tu doctus in urbe  
 8 vatibus ampla ferens portus et aura bonis.  
 9 Nec minus hinc doctis patet haec tua semper amicis  
 10 nunc, Francisce, domus, quam sua cuique patet,  
 11 unde fit, ut statuunt gratos sibi, Throne, Penates  
 12 Pierides potius velle habitare tuos,  
 13 quam juga Parnasique tenent aut Thessala Tempe,  
 14 prima fuit sedes his ubi, primus amor.

## AD BARTHOLOMEUM BENVENUTUM IUVENEM ERUDITISSIMUM

E\_88 v.1 Consilio nuper Venetas accessimus urbes  
 2 nobilis Illyrici quas habet unda maris.  
 3 Sed non inde dari poterit mihi magna voluptas,  
 4 gaudia nec poterunt integra mente capi,  
 5 cum procul hinc absis, decus et tutela sororum,  
 6 quas Aganippeis amnis inundat aquis.  
 7 Quare, si quod erit justum fierique licebit,  
 8 te rogo, cura tibi si tua posse dabit  
 9 ut fruar ingenio tam, Bartholomee, benigno,  
 10 huc celer in Venetos, docte, redito Lares.

## AD RINALDUM TYFERNATEM VENETIIS COMMORANTEM

E\_89 v.1 O Rinalde, novos inter mihi primus amicos,  
 2 cui genitale solum, docte, Tyfernus ager,  
 3 quis neget ingenium magnum tribuisse Minervam,  
 4 quis neget aut Musas plura dedisse tibi ?  
 5 En ego Pieridas quoque sum, Rinalde, secutus,  
 6 ut mihi dent eadem, quae tribuere tibi :  
 7 quin, si dempta tuo de nomine syllaba prima,  
 8 nomen idem nobis inde duobus erit.  
 9 Quam mihi conveniunt studium nomenque tuumque,  
 10 tam decet inter nos simus amore pares.

## AD BENEDICTUM LUCENSEM VENETIIS DISCIPULOS DOCENTEM

E\_90 v.1 Illustri Venetum siquis reperitur in urbe,  
 2 qui scierit quicquid Graecia docta monet,  
 3 qui scierit Latii quicquid cecinere poetae,  
 4 quicquid et antiqui floruit urbe Remi,  
 5 aut qui Socraticis imbutus moribus, acer,  
 6 norit item virtus quid sibi summa velit,  
 7 finxerit aut teneros juvenes qui semper honesto :  
 8 dispeream, si non hic Benedictus erit.

## AD FRANCISCUM DIANAM

E\_91 v.1 Quam bene conveniens nomen posuisse feruntur  
 2 rebus et ingenio, docte Diana, tuo :  
 3 e tenebris homines nam cum, ratione magistra,  
 4 in lucem revoces, vir memorande, novam,  
 5 convenit inde tibi nomen, quo Lucifer almus  
 6 dicitur a Tuscis stella Diana viris.

## IN ANDREAM VENDRAMINUM VENETORUM PRINCIPEM VITA FUNCTUM

E\_92 v.1 Hoc quicumque subis templum sedemque sacratam  
 2 inspice seu civis seu peregrinus eris :  
 3 Vendraminus in hac tegitur dux mole sepultus  
 4 Andreas, patriae qui decus omne fuit,  
 5 legatus quia seu Latias se ferret in oras  
 6 seu caperet (juste) primum in urbe locum,  
 7 consilio Venetos sapiens ita semper honores  
 8 auxit, ut inde suis gloria summa foret.

## AD ALOISIUM ZENUM PATRITIUM VENETUM

E\_93 v.1 Cui bene Pierides artem tribuere canendi,  
 2 cui dedit Aoniam pulcher Apollo lyram,  
 3 te Musae vocitant : "Venias modo, Zene, rogamus,  
 4 huc, ubi jam nobis est data certa domus.  
 5 Te mihi sors primumque dedit, primumque locavit

6 auctorem cepti Calliopea mei :  
 7 tu prior ergo veni, nostras prior excipe voces,  
 8 dignus ut es, quarum tu moderator eris."

AD GEORGIUM ALEXANDRINUM RHETOREM EGREGIUM ATQUE ORATOREM

E\_94 v.1 Divina Cicero priscos dum voce Quirites  
 2 mulceret, Latiis gloria summa fuit ;  
 3 dum praecepta daret dicendi, fama per omnes  
 4 maxima Romulidas Quintilianus erat.  
 5 At, quod uterque fuit cum sis utrumque secutus,  
 6 quodque dedere duo cum modo solus agas,  
 7 evenit ut laudis scriptoribus una duobus,  
 8 Georgi, quantum Martia Roma dedit,  
 9 nominis urbs Venetum tantum tibi praebeat uni,  
 10 et data sit meritis utraque palma tuis.

AD PILADEM VENETUM VATEM EGREGIUM

E\_95 v.1 Siqua tibi poterit me conciliare Camena  
 2 ex his, quae dictant carmina blanda tibi,  
 3 siquis amor Cirrhae, cujus juga summa frequentas,  
 4 me movet ut fiam dignus amore tuo :  
 5 jam puto, me, Pilades, nisi mens mea, docte, fefellit,  
 6 nostra quidem priscis gloria major erit,  
 7 dum bene tu toto semper cantaberis orbe,  
 8 scripseris Aonio tu quia digna choro,  
 9 dum, tibi quod fuerim fidus velut alter Orestes,  
 10 mi dabitur summi summus amoris honos.

AD PETRUM PRIOLUM PATRITIUM VENETUM

E\_96 v.1 Cum, Petre, scripta magis splendentia nostra redirent,  
 2 cum solitum praeter lucidiora forent,  
 3 quaerebam causam. Quaerenti certa libello  
 4 haec fuit a nostro reddita causa mihi :  
 5 misisti docti me, Nalde, ad limina Petri,  
 6 Privola quem genuit stirps generosa domus.  
 7 Qui bene cum norit divinae Pallados artes,  
 8 norit et egregium quicquid Apollo canit,  
 9 evenit ut, postquam vultu capit ille sereno,  
 10 ut legat, in doctas carmina nostra manus,  
 11 illustris factus tanto lectore nitensque  
 12 lucidior videar quam tibi, Nalde, fui.

AD EUNDEM PETRUM DE MALIS ROSIS AD EUM MISSIS

E\_97 v.1 Haec, modo Flaminea quae misit amicus ab urbe,  
 2 mitto, quibus roseum nomen inesse ferunt.  
 3 At, Petre, siquid habent acris mea mala saporis,  
 4 dulce tua capient tu modo tange manu.

## AD DOMINICUM ... PATRITIUM VENETUM

E\_98 v.1 O praestans juvenis, primum quod carmen honorem  
 2 scripsimus in Venetum mittimus, ecce, tibi :  
 3 quod precor auspiciis iisdem, quibus ante legebat  
 4 Vendraminus, item tu, studiose, legas.  
 5 Nam, tibi si quantum jam nunc natura volensque  
 6 Musa dedit puero, fors dabit inde viro,  
 7 dux eris in Veneta princepsque Dominicus urbe,  
 8 haec erit et meritis palma tributa tuis.

## AD GEORGIOS FRATRES PATRITIOS VENETOS

E\_99 v.1 Cum natura potens Venetis decus addere vellet,  
 2 quo foret in tota pulchrius urbe nihil,  
 3 fecit ut egregii juvenes generentur ab uno  
 4 tot patre, quot cithara mulcet Apollo deas,  
 5 artibus ingenuis quos sic dare longa juvaret  
 6 tempora, sic studiis invigilare bonis,  
 7 ut tibi Pierides quantum tribuere puellae  
 8 tunc, Parnase, jugum cum subiere tuum,  
 9 urbs, tibi nunc, Venetum, tantum Georgia proles  
 10 afferat, Illyricis fama decusque viris.

## PETRO PRIOLO PATRITIO VENETO

E\_100 v.1 Petre, quod in Venetum carmen modulabar honorem,  
 2 Vendramina domus cum caput urbis erat,  
 3 quas numeris scripsi liber pedibusve solutus  
 4 in Venetos laudes, has ego mitto tibi,  
 5 ut tu, cui dedit ingenuas Cyllenius artes,  
 6 cui dedit ingenio noscere cuncta gravi,  
 7 in vos aspicias fuerim quo semper amore,  
 8 aut patriae fuerit quae mihi cura tuae.

## IN NICOLAUM BUCINIENSEM

E\_101 v.1 Quis, Nicolae, vir est nunc te prudentior alter,  
 2 quis vir in Etrusca te magis urbe sapit,  
 3 unum cum linguas praedurum forte cinaedum,  
 4 ut possis teneros hinc habuisse duos ?

## IN EUNDEM

E\_102 v.1 Bencia nobilitas, ad quem sinis ire tenellos  
 2 en pueros ? Rabido creditur agna lupo.  
 3 Est Nicolaus enim, quem tu praecepta daturum  
 4 esse putas, pueris fossa profunda tuis.

## AD BERNARDUM BEMBUM PATRITIUM VENETUM

E\_103 v.1 Vidimus Illyricas urbes Venetumque senatum ;  
 2 vidimus atque aulam, quae Jove digna coli,  
 3 quae solet pompa princeps Georgia templa  
 4 visere, in auratis aureus ipse togis ;  
 5 vidimus ac sellam, tum pulvinaris honorem,  
 6 quem bene caelicolas posse decere putes ;  
 7 vidimus et baccis ensem gemmisque gravatum,  
 8 qui notat Erigones jussa verenda deae ;  
 9 vidimus umbellas patulas agroque rigentes,  
 10 quae praestant Veneto regia signa duci ;  
 11 vidimus atque patres vestigia longa sequentes  
 12 principis et quicquid claret in urbe tua :  
 13 sed foret inter tot quod te clementius uno,  
 14 Bembe, quod aut melius, vidimus inde nihil.

## HERMOLAO BARBARO PATRITIO VENETO IURISCONSULTO NOBILI AC POETAE LAUREATO

E\_104 v.1 Barbare, naturae quantum tenearis honori,  
 2 quem tibi largita est, hinc bene nosse potes.  
 3 Namque viros finxit multos ea corpore tali,  
 4 quod latet ingenii ne dare signa queant :  
 5 siquis at in faciem te nunc spectabit, ab ore  
 6 inde tuo cernet quot bona signa feras.  
 7 Mente bonus quam sis, vates, animoque videbit -  
 8 aspectu primo sic tibi forma nitet ! -  
 9 quae doctrina tibi, quae sit clementia, quamque  
 10 ingenio virtus culta sit usque tuo.  
 11 Noscet ut in Latium doctas bene vertis Athenas  
 12 Graiaque das Latiis plurima dicta viris ;  
 13 doctus ut enodas divini aenigmata juris,  
 14 solvis et ut dubiis vincula caeca reis ;  
 15 ut caput inde tibi divino ex ore canenti  
 16 frondibus ornavit pulcher Apollo suis,  
 17 testibus ut patribus te nunc Venetoque senatu,  
 18 delicias vocitet quaeque Camena suas.

## AD MARSILIUM FICINUM PHILOSOPHUM GRAVISSIMUM

E\_105 v.1 Marsili, Aonidum decus et tutela sororum,  
 2 Marsili, patriae lumen honosque tuae :  
 3 aurea pax venit, finem positura querelis  
 4 atque modum tantis impositura malis.  
 5 Gratulor ergo tibi : sis ac memor, optime, nostri  
 6 te rogo, remque meam nocte dieque premas.  
 7 Fac qui sponte sua soliti dare plura fuere  
 8 his, quibus est artes tradere cura bonas,  
 9 fac ut idem faciant in tanto cardine rerum,  
 10 ulla nec ulterius causa moretur opus.

## AD LAURENTIUM MEDICEN CLARISSIMUM VIRUM

E\_06 v.1 Venimus huc, Medices, ad florida prata Bisenti,  
 2 Pieridum retinet nos ubi primus amor :

3 hic, citharam late Phoebō modulante canoram,  
 4 dicimus in nomen carmina sancta tuum ;  
 5 hic nitidos prati flores, virgulta, miricas  
 6 edoceo Medicam tollere in astra domum ;  
 7 hic puto, Laurenti, me nunc satis esse beatum,  
 8 nominibus quoniam versor ubique tuis.  
 9 At, tu si nostri memor es, velut ante solebas,  
 10 curaque si, Medices, te subit ulla mei,  
 11 vertice sublimi splendentia sidera tangam,  
 12 aspernans terrae vile quod orbis habet.

## AD NICOLAUM MICHELOZIUM

E\_107 v.1 Luserit ipsa licet sic me fortuna tot annos,  
 2 ut versare meum lassa sit illa caput :  
 3 si tamen optatos inter contingat amicos,  
 4 tu caput es quorum, vivere posse mihi,  
 5 non regum, Micheloze, dapes aut dona requiram,  
 6 non mihi Persarum ditia regna petam.

## AD ALEXANDRUM BRACCIUM

E\_108 v.1 Cum puto quanta mihi sit perventura voluptas,  
 2 vivere si tecum saecula futura queam,  
 3 si, quod uterque simul, Bracci, speramus, eodem  
 4 munere fortunae possit uterque frui :  
 5 haec nisi, qua longos tecum victurus in annos  
 6 sum, modo fata sinant, sors mihi nulla placet.

## AD BARTHOLOMEUM SCALAM

E\_109 v.1 Quid mirare meum si jam fortuna tot annos  
 2 noluit ex humili tollere corpus humo ?  
 3 Defuit ingenium mihi surgere saepe volenti,  
 4 defuerant artes, defuerantque modi.  
 5 At mihi si scalaeque tuae gradus adsit honestus,  
 6 qua modo laurigerum condis in astra caput,  
 7 Scala, domum potero duce te penetrare Tonantis,  
 8 perque deum superas ire superbus opes.

## AD ANGELUM POLITIANUM

E\_110 v.1 Cui mirum, ingenio si vincis in omnibus omnes,  
 2 sunt qui aetate pares, Angele docte, tibi,  
 3 a teneris semper cum sis conatus, ut omni  
 4 tempore danda tibi primaque palma foret :  
 5 evenit, ipse viris vir ut es prior, utque fuisti  
 6 tu prior ante puer, sis prior inde senex.

## AD ANGELUM POLITIANUM

E\_111 v.1 O decus egregium Phoebi, decus atque sororum,  
 2 Bellerophontei quas lavat unda feri :  
 3 ut vitrei repetas splendentia prata Bisenti  
 4 te precor ; huc ad nos, Angele docte, redi.  
 5 Te sine, Pieridesque silent, Charitumque per artem  
 6 in numerum sine te non movet ulla pedes ;  
 7 Phoebus inauratas patitur neque tangere chordas  
 8 neve juvat numeros concinuisse sacros :  
 9 credere se liquidis audet neque fontibus ulla  
 10 nais, et auricomum nec lavat amne caput ;  
 11 nos jocus atque sales hic deseruisse videntur  
 12 et quaecumque sacra mente repostata tenes.  
 13 Si tamen ipse pedem referas cito, cuncta redibunt,  
 14 hac neque candidior lux erit ulla mihi.

## AD BARTHOLOMEUM SCALAM DE PUERO SIBI NUPER NATO

E\_112 v.1 Cum sic ampla tibi dederit natura creatrix,  
 2 ut neque fors illis infera ora daret -  
 3 ingenium nam prima dedit, quo major Etrusca  
 4 edoctos inter nullus in urbe foret ;  
 5 altera promerito summos mandavit honores  
 6 et dedit urbanae munera prima togae - :  
 7 nulla virilis erat proles tamen, acta parentis  
 8 grandia quae celebrans, ferret in astra caput.  
 9 At puer, e caelo tamquam tibi missus ab alto,  
 10 en datur, ut similis cuncta sit ille patri,  
 11 ut fors, Scala, tibi cumulatior esset ab omni  
 12 parte, nec a meritis manca sit illa tuis.

## AD BARTHOLOMEUM SCALAM

E\_113 v.1 Cum lego quae variis est scripta coloribus abs te  
 2 littera, quae docta, Scala, notata manu :  
 3 non secus aspirat, quam si graviore Camena  
 4 illa sit a Clario pagina ficta deo.

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_114 v.1 Scripserat ista Plato, quo nil divinius extat,  
 2 si veri quicquam Graecia docta monet :  
 3 has fore felices urbes, quibus auctor habendis  
 4 praesidet ingenio qui sit et arte bonus,  
 5 aut qui philosophos colat egregiosque poetas,  
 6 quosque replet numeris Musa benigna suis.  
 7 At, modo cum fidibus, Laurenti, edocte canendis  
 8 jam superes artes qui didicere bonas,  
 9 cumque colas rursus qui Phoebos digna loquuntur  
 10 et quibus Haemoniis ora rigantur aquis,  
 11 urb(s) haec) fortunata magis tua jure putanda,  
 12 quam regis et monitis tollis in astra tuis.

## AD IOHANNEM MEDICEN LAURENTII FILIUM NASCENTEM

E\_115 v.1 Jupiter ut primos nascenti tradidit ortus,  
 2 te majus patria nequid in urbe foret,  
 3 sic, precor, ut ternae, quorum est dare fata, sorores  
 4 mollia dent vitae candida fila tuae,  
 5 ut Medices reliquos meritis superare, Johannes,  
 6 utque tuum possis aequiperare patrem.

## IN DIVAM MARIAM

E\_116 v.1 Salve, sancta parens, divina Maria, Tonantis,  
 2 gratia de supero cui Jove summa datur :  
 3 Filius omnipotens, nutu qui temperat orbem,  
 4 en, tibi pro meritis virginitatis adest !  
 5 Hinc tu fama venis mulieribus una pudicis  
 6 omnibus, alma parens, tu decus omne tuis.  
 7 Sancta quidem summi mater divina Tonantis,  
 8 te rogo pro nobis funde, Maria, preces,  
 9 et nunc dum variis jactamur fluctibus, et cum  
 10 in nos mors nigras inferet atra manus.

## IN NATALEM CHRISTI OPTIMI MAXIMI DIEM

E\_117 v.1 Salve, Christe pater, lucis dator optimus almae,  
 2 qui nascens tenebras nocte silente fugas :  
 3 te merito vocitant regem regumque parentem,  
 4 cum bona sit cunctis te duce parta salus,  
 5 Assyrii cum te ruerint nascente tyramni  
 6 ac novus inde tibi sit stabilitus honos.  
 7 Non tantum Persae venerati numina reges  
 8 sunt tua, sed superas qui tenuere domos.  
 9 Admirans media tenebris e nocte fugatis  
 10 lanigeras pastor te canit inter oves.  
 11 Ortus casta tuos genitrix tum semper adorat  
 12 et sua dat sanctis oscula sancta genis,  
 13 teque deum natumque simul veneratur, in ulnis  
 14 dum tenet, atque suum te vocat illa patrem.

## IN COSMUM MEDICEN PATRIAE PATREM

E\_118 v.1 Quot bona Tyrrhenis, Medices, quot commoda vitae  
 2 undique defuerint vix meminisse queam,  
 3 ex quo te rapuit patriae fera Parca dolenti,  
 4 cujus eras tota dictus ab urbe pater.  
 5 Te pereunte lues pestisque invasit acerba -  
 6 nam fuit haec primi prima favilla mali - ;  
 7 nec mora : nos miseros civilia bella sequuntur,  
 8 omnibus illa quidem bella timenda bonis ;  
 9 hinc alias Musae terras abiisse feruntur,  
 10 atque Flumentinas deseruisse domos.



11 Quot juvenes docti veluti genitore carentes  
 12 heu, male, Cosme pater, consulere sibi !  
 13 In quibus extiteram, cui tu velut optimus esses,  
 14 Cosme benigne, pater, sic mihi carus eras.

IN LUCIFERUM MANE ADVENIENTEM

E\_119 v.1 Lucifer alme, veni, noctis dempture timores  
 2 atque diem referens, Lucifer alme, veni :  
 3 nuntius es solis primo nascentis ab ortu,  
 4 primus et auricomi lumina solis agis.  
 5 Tu revocas placidas ad telam luce puellas,  
 6 Tuque jubes tenera ducere pensa manu ;  
 7 te duce carpit iter securus habetque viator  
 8 proiciens tenebras diffugient facies ;  
 9 mane quidem pastor surgens, abeuntibus astris,  
 10 in nova lanigeras pascua ducit oves ;  
 11 tuque doces lepori, tu retia ponere cervis,  
 12 currere et alipedes per juga summa canes.  
 13 Tuque fugas tenebras rutilans noctemque malignam,  
 14 Phoebeumque soles antevenire jubar.  
 15 Ad nos huc igitur, quo me solere dolentem,  
 16 tot bona cum facias, Lucifer alme, veni.

IN XANDRAM NUTRICEM FIDISSIMAM

E\_120 v.1 Tam dilecta mihi, nutrix, Caieta parenti  
 2 quam prius Aeneae, dum sibi vita fuit :  
 3 postquam fata mihi te sic rapuere dolenti,  
 4 aegrius ut non sit mater adempta mihi,  
 5 siquid Musa potest, per me grave nomen habebis,  
 6 Xandra, novus tumuli quod tibi servat honos.

AD BERNARDUM BEMBUM DE GINEVRA BENCIA

E\_121 v.1 Quamvis summa tuae jam sit praestantia formae,  
 2 Bencia, per cives concelebrata tuos,  
 3 castaque sicutiam populo vociteris ab omni,  
 4 pulchrior ut dubitent sisne pudica magis,  
 5 nulla tamen gravior laus est neque major habenda  
 6 nec mage quae famae conferat inde tuae,  
 7 quam grave iudicium Bembi, quo sanctior alter  
 8 nemo nec in Latio clarior orbe manet.  
 9 Cui formosa satis, cui cum videare pudica,  
 10 in te cum summum Bembus utrumque probet,  
 11 evenit, ut de te cantent nova carmina vates,  
 12 cuilibet ac nomen tollat in astra tuum.

IOANNI VICTORI SODERINO IURI CIVILI OPERAM DANTI

E\_122 v.1 Te quibus auspiciis, Victor, genuere parentes,  
 2 quam virtute tua nomina digna tenes !

3 Nam, tibi cum linguae Latiae praecepta darentur,  
 4 quae dedit erudiens Martia Roma suis,  
 5 cum bene tu caperes quod Quintilianus amavit,  
 6 aut quod divina finxit et arte Maro,  
 7 quicquid Aristarchus, quicquid descripsit Homerus,  
 8 Ascraeus quicquid tradidit ante senex,  
 9 sic alios superans, Victor, capis omnia solers,  
 10 Roscius ut dici qualibet arte queas :  
 11 auspiciis paribus civilia discere jura  
 12 nunc vis, ut patriae sis pater inde tuae.

FELICI LATERINENSI IURISCONSULTO

E\_123 v.1 Ascendis quoties Felix lecture cathedram,  
 2 discipulos doceas ut pia jura tuos,  
 3 exclamas, tamquam populus sit totus ibidem  
 4 atque audire libens grandia verba velit.  
 5 At tibi nemo tamen, famulus nisi solus, inhaeret -  
 6 is, tibi qui librum fert, tua dicta capit - ,  
 7 unde fit usque tibi sint ostia clausa legenti,  
 8 nequis te comitum cernat habere nihil.

IN BARTHOLOMEUM PRATOVETEREM

E\_124 v.1 Siqua fides veris dabitur, mihi credite, verbis,  
 2 jam graviora, leves, bella timete, grues :  
 3 uxor enim minimo minor est sic juncta marito,  
 4 sic minor exiguo nupta puella viro,  
 5 ut quoties ad opus Veneris consurget uterque  
 6 et cunnum fodiet mentula parva brevem,  
 7 tot puto pygmaea nascentur origine fratres,  
 8 tot vos pygmaei seminis arma petent,  
 9 ut, quibus est dira bellum cum gente gerendum,  
 10 heu, cito vos rapiat, pestis acerba, grues.

AD LAURENTIUM MEDICEN CLARISSIMUM VIRUM

E\_125 v.1 Sic sis cum natis clara cum conjugate felix,  
 2 sic velut es patriae sic pater usque tuae ;  
 3 sic tibi pontifices cedant regesque superbi  
 4 pareat et jussis Itala terra tuis ;  
 5 sic tibi divini merito tribuantur honores,  
 6 sic cuncta Herculeo robore monstra domes :  
 7 da redeam patrios, Laurenti invicte, Penates  
 8 aspectuque tuo da mihi posse frui.  
 9 Da, neque pertimeas nunc tempora Martis et hostes :  
 10 hinc tibi magnificus namque triumphus erit,  
 11 cum procul e Laribus graviora pericula Tuscis  
 12 sis Medica solitus pellere victor ope ;  
 13 namque tuae vires, tua nam sapientia vincit  
 14 omnia, nam fato plus valet illa gravi.

## AD LAURENTIUM MEDICEN CLARISSIMUM VIRUM

E\_126 v.1 Si quibus auspiciis coepisti deinde sequeris,  
 2 Laurenti, votis, docte, favere meis,  
 3 omnem posse reor penitus superare laborem,  
 4 quem, nisi tu faveas, causa datura mea est.  
 5 Nam tibi quis, Medices, nunc audeat ulla petenti  
 6 non dare, seu quis erit, qui neget ulla tibi ?  
 7 Est tibi tantus honos, tanta est reverentia vultus,  
 8 tamque novum sacro pendet ab ore decus,  
 9 ut te non homines tantum mollire, sed acres  
 10 voce rear placida flectere posse feras.

## AD PETRUM MEDICEN LAURENTII FILIUM

E\_127 v.1 Si, velut ostendit nobis natura creatrix,  
 2 assolet e dura surgere lympa petra,  
 3 talis item petra Medicum nascetur ab alta,  
 4 qualis in Aonio gurgite lympa nitet :  
 5 nam fluet assidue Pario de marmore, quo nunc  
 6 condita Pieriis stant tibi templa sacris.  
 7 Hac si permittes me, candide Petre, lavari,  
 8 meque, pater veluti, duxeris esse tuum,  
 9 nil mihi defuerit, quod sit bona summa daturum,  
 10 nil dabitur, felix quo magis esse velim.

## AD LAURENTIUM MEDICEN VIRUM CLARISSIMUM

E\_128 v.1 Bella ferant quidam cum sic obstare gerendis  
 2 rebus, ut hinc tenuis spes sit habenda mihi,  
 3 tecum nequid agam dicunt mihi, sed magis aptum  
 4 tempus ut exspectem nunc meliusve putant :  
 5 hoc ego cum reliquis fateor satis esse cavendum,  
 6 qui te, Laurenti, praevaluere minus.  
 7 Nam, te cum palmae similem natura creavit,  
 8 quae mage se attollit quo mage pressa fuit,  
 9 non est quod dubitem graviora pericula Martis,  
 10 aut ea, quae cupiam, non mihi posse dari.  
 11 Praesertim populos cum sic sapienter et urbes  
 12 et Tuscos tanta rexeris arte patres,  
 13 semper ut et Musis sedes servaris honestas,  
 14 servaris proprium semper in urbe locum,  
 15 ut neque Mars saevus, grave dum furit ipse, nec hostes  
 16 tam doctas possent eviolare deas,  
 17 quo minus ingeniis a te statuta darentur  
 18 praemia, Bellonae non temeranda gravi.

## AD LAURENTIUM MEDICEN VIRUM CLARISSIMUM

E\_129 v.1 Te quamquam superi, quamquam tua maxima virtus  
 2 civibus ut patrem proposuere tuis,  
 3 sorte tamen ductus prior es, quo nostra resurgens  
 4 res magis ex humili se modo tollat humo.

5 Ergo velim capiat me nunc tua cura tuendum  
 6 omnibus es, Medices, tu prior ipse modis,  
 7 ut sors, quae fuerat nobis inimica, jubenti  
 8 virtuti cedat, facta benigna, tuae.

AD LAURENTIUM MEDICEN CLARISSIMUM VIRUM

E\_130 v.1 Immensas Caesar gestavit pectore curas,  
 2 dum res imperii sustinet ille graves :  
 3 attamen hic, sortis vice foret usus amica,  
 4 seu fortuna daret quod male ferret onus,  
 5 semper amicorum meminit semperque merenti  
 6 temporis angusti pars data cuique fuit -  
 7 et modo Vatinius mandabat ut esset honestus,  
 8 et modo Marcello conciliandus erat -.  
 9 Sic, cum mente geras lato quot in orbe geruntur  
 10 atque sacro teneas pectore clausa tuo,  
 11 danda tibi laus est tot maxima semper agenti,  
 12 nec levis est meritis gloria danda tuis,  
 13 si me, Laurenti, fidum servabis amicum,  
 14 ne me, quam superas, fors inimica ferat.

AD LAURENTIUM MEDICEN VIRUM CLARISSIMUM

E\_131 v.1 Jupiter in superis quoties cupit esse quietem  
 2 atque ratum, quod agit, vult bene constet opus,  
 3 advenit ipse suo resplendens numine princeps  
 4 maximus ac reliquis praesidet ipse deis,  
 5 qui, praesens postquam pater est, non dissidet ullus  
 6 a Jove, sed tacitus quaeque gerenda facit :  
 7 sic opus est ut agas Laurenti maxime, si vis,  
 8 quod pro me tentas, ut bene constet opus.  
 9 Nam, simul advenies, concordēs protinus omnes,  
 10 quae bonus annueris, cuncta libenter agent ;  
 11 nanque tuis, tamquam vel ad optima semper agenda,  
 12 numinibus cedent, te veniente deo.

AD LAURENTIUM EUNDEM

E\_132 v.1 Regia te, Medices, exspectat ad ostia solers  
 2 Musa, velit pro me cum tibi pauca loqui.  
 3 Te rogat, accersas ut se jubeasque vocari :  
 4 est grave, Laurenti, quod feret illa, nihil.

AD PETRUM STIAM LAURENTII MEDICIS SCRIBAM

E\_133 v.1 Sic de, Petre, tua se fundat in omnia petra  
 2 fons Aganippeae plurimus instar aquae,  
 3 sic Medici semper facias quaecumque placebunt,  
 4 sic bonus ingenio cuncta det ille tuo :  
 5 nos ita Laurento Medici te, Petre, rogamus  
 6 de me pauca loquens insinuare velis,

7 ut mea quod potuit non dum mihi ferre Camena,  
8 gratior ob meritum det tua Musa mihi.

AD LAURENTIUM MEDICEN VIRUM CLARISSIMUM

E\_134 v.1 Cum mihi dixisses cuperem quodcumque futurum,  
2 sic ut nulla mihi res dubitanda foret :  
3 o me felicem - dixi - superare licebit  
4 fortunam, ne sit tristis ut ante fuit ;  
5 illa tuis verbis sapientibus improba cessit,  
6 quas mihi das, voces horruit illa tuas.  
7 Dum male diffidens igitur sibi cuncta timescit,  
8 dum tibi nectendas porrigit illa manus,  
9 fac ita, Laurenti, subito quaecumque supersunt  
10 te duce tam sanctis sint stabilita modis,  
11 in me si spatium dabis ut respiret in iras,  
12 ne vires iterum concitet illa suas.

AD LAURENTIUM MEDICEN VIRUM CLARISSIMUM

E\_135 v.1 Cum mare tranquillum jam sit, ventosque fugari,  
2 jam tua majestas fecerit ante graves,  
3 restat ut in portum nunc deducamur honestum,  
4 navis ut in tutos sit mea ducta sinus.  
5 Quod faciet, si Neptunus velut alter in undas  
6 prospiciens sacrum tollis in alta caput ;  
7 quod circumtuleris postquam, bona cuncta sequentur,  
8 et mihi vel tellus roscida mella dabit.

AD FRANCISCUM BONACOLTUM IURISCONSULTUM NOBILISSIMUM

E\_136 v.1 Diversis varias mentes inspirat Apollo,  
2 unde fit ut varium quisque sequatur opus.  
3 Optat enim rerum causas hic nosse latentes,  
4 ille cupit mores edidicisse probos ;  
5 astra petens alius potuit cognoscere vires,  
6 in nos quas retinens stellifer orbis habet ;  
7 egregiis alius numeris bene condere carmen  
8 eligit, atque sacros concinit ore modos ;  
9 est quoque qui pedibus cupiens magis ire solutis  
10 malit in historiam cuncta referre gravem ;  
11 divinos alius mirans Ciceronis honores  
12 rhetoris assiduum semper adurget opus ;  
13 sunt quos delectet civilia discere jura,  
14 quae bene vita docent qua sit agenda via :  
15 tu tamen ista tenes memori sic mente reposta  
16 omnia, sunt animo sic bene culta tuo,  
17 ut, Francisce, queas eadem, quae pulcher Apollo,  
18 artibus ingenuis consilioque bonus,  
19 unde quot ille deus, totidem responsa petenti  
20 das, modo quisquis adit te petiturus opem.

## AD ATHLANTEM MELIOROTTUM ADOLESCENTEM INGENUUM

E\_137 v.1 Scripsimus haec, Athlas, patria procul urbe, futuro  
 2 quae tibi sint animi pignora cara mei.  
 3 Tu, mihi siqua fides nunc est adhibenda canenti,  
 4 aut me si monitis implet Apollo suis,  
 5 haec mea dicta velim memori sic mente recondas,  
 6 sint ea sic medio corde repostata tibi,  
 7 factus ut inde sacro vates celebrandus honore  
 8 Pierio valeas nectere verba pede.

## AD LAURENTIUM MEDICEN PETRI FRANCISCI FILIUM

E\_138 v.1 Quam sapis, o Medices, aut quam fugis omnia solers,  
 2 quae possint animo dira nocere tuo,  
 3 hinc licet ut noscam : nam cum malus error in omnes  
 4 sic eat, ut recta cogat abire via,  
 5 non tantum mentem quam ratione resurgat  
 6 erudis aut quo se tollat in alta modo,  
 7 corpora sed nequas subeant indocta tenebras  
 8 instruis, errores detegis atque malos.  
 9 Hinc tibi vel mediis hortis labor intus habetur  
 10 Cretensi quondam qualis in orbe fuit,  
 11 quo bene cum caecos disces superare labores,  
 12 diversos in se quos labyrinthus habet,  
 13 vincere cuncta queas gravibus pendencia fati,  
 14 ad tot inaccessas dum meditare vias.

## IN IULIANUM MEDICEN VITA FUNCTUM ANTE ELEGIAM IN EUM SCRIPTAM

E\_139 v.1 Cui, si fata sinant, demptos ego protinus annos  
 2 pensarem vita, quantulacumque, mea,  
 3 Hoc tibi, dum coleris tristi celebratus honore,  
 4 Julianus Medices, flebile carmen habe :  
 5 ut, quem vel lapides duri flevere cadentem,  
 6 prosequar, heu, lacrimis te quoque, sancte, piis.

## AD PETRUM LAURENTII MEDICIS FILIUM

E\_140 v.1 Nunc imitanda tibi cum facta domestica dentur,  
 2 Cosmus et hinc atavus, hinc tibi Petrus avus,  
 3 ut patrem referas, tibi tam grave pondus inhaeret,  
 4 quam gravis Alcidae stellifer axis erat.  
 5 Nam tot monstra pater durissima vicit, ut illi  
 6 jam superi cedant fata severa Jovis,  
 7 cum neque jam reges tantum saevosque tyrannos  
 8 et quoscumque duces Italus orbis habet,  
 9 sed Martem superasse ferum videatur et acrem  
 10 Saturnum, quamquam cuncta domanda rapit.  
 11 Hunc sed ages patrem, Musis et Apolline dextro,  
 12 omnia per, quorum te modo raptat amor,  
 13 ut, Petre, divini, Medices, virtute parentis  
 14 et, puer, ingenii viribus inde tui,

15 aurea sint populis iterum speranda Latinis  
16 saecula, et ut fluvii nectaris instar eant.

AD LAURENTIUM MEDICEN VIRUM CLARISSIMUM

E\_141 v.1 Cum peterem Medicas aedes aurataque tecta,  
2 quae tibi sunt opibus condita multa novis,  
3 obuius admonuit Nerius Boncanius at me,  
4 Pisana veluti nuper in urbe fores.  
5 Et simul edocuit, paucis velut ante diebus  
6 viderat ingenio carmina culta tuo,  
7 tam graviter quae scripta forent, tam rursus acute,  
8 tamque bonis, Medices, emodulata sonis,  
9 ut mirans Nerius, mirans Landinus, honore  
10 te ferat in tota doctius urbe nihil.  
11 Cum sic voce tua posses retinere morantes,  
12 dum recitas Clariis verba notata modis,  
13 vesper ut invito nimium properaret Olympo,  
14 promptior ut numeris afforet ille tuis,  
15 hinc ego felices duxi quibus urbe potiri  
16 concessum, quibus est ullus in urbe locus.  
17 Ergo tuo tuus hoc tanto ne priver honore,  
18 carmine tamque gravi cogar abesse tuo,  
19 te rogo, Laurenti, Patrios mihi redde Penates,  
20 daque tuis Musis et mihi posse frui.

AD GIANNOTIUM PANDOLPHINUM

E\_142 v.1 Pandolphine, decus juvenum, quos Tuscus amoeno  
2 flumine, quos vitreis irrigat Arnus aquis :  
3 sic det Apollo suis similes tibi ferre capillos,  
4 sic lauro comptas det tibi ferre comas,  
5 sic, velut ingenio multos Latiave Camena  
6 jam superas, Graios det superare viros,  
7 te rogo, me patri commendes, nate, Philippo,  
8 optima qui patriae consulit usque suae.

AD BERNARDUM ORICELLARIUM

E\_143 v.1 Cui dedit ingenium gravius Tritonia Pallas,  
2 cui dedit et multa rhetoris arte loqui,  
3 vim cui dat summam placido Cyllenius ore,  
4 cuique bonus mentem spirat Apollo bonam :  
5 te precor, ut nostri semper tibi cura supersit,  
6 nostrarque sint animo semper amica tuo.  
7 Te sine nil altum mens inchoat : aspice tantum,  
8 nam potes, hinc aderunt numina cuncta mihi.  
9 Visere fert animus patriam, cupit urbis et inter  
10 edoctos aliquem posse tenere locum.  
11 Ast ego si vestro nec adhuc sum dignus honore,  
12 nec mereor patrios inde videre Lares,  
13 id rogo des nostrae saltem, Bernarde, Camenae :  
14 non mihi, sed Musae te precor affer opem.

## AD ANGELUM POLITIANUM

E\_144 v.1 Angele, cuncta volens tribuat sic Musa petenti,  
 2 a Jove quae didicit sic det Apollo tibi,  
 3 sic Fortuna tibi cedat quoque tempus in omne  
 4 atque sit optatis usque secunda tuis,  
 5 sic tibi perpetuos foveat Laurentius annos,  
 6 sic velit haec eadem, quae tibi facta velis :  
 7 te precor, o vates, adsis mihi vestra colenti  
 8 numina, me docta protege, docte, manu.  
 9 Tu Medicen, noscens aditus et tempora, magnum  
 10 ad quaecumque cupis voce movere potes :  
 11 nititur adversus fatum sapientia tantum,  
 12 solaque sideribus imperat illa malis.  
 13 Cum sapias igitur reliquis magis omnibus unus,  
 14 quos Tuscus vitreis irrigat Arnus aquis,  
 15 gloria magna tibi dabitur si victor amicum  
 16 duxeris in tutum sorte vetante caput.

## AD NICOLAUM MICHELOZIUM

E\_145 v.1 Sit, Nicolae, tibi felix faustumque precamur :  
 2 sponsa sit ut pulchra prole futura tibi,  
 3 sint tibi qui nati referant utrosque parentes,  
 4 quique gerant patriae pondera magna suae.  
 5 Haec modo nos votis agimus, tibi sed tua virtus  
 6 omnibus optatis uberiora feret.

## AD INVIDUM MALEDICUM

E\_146 v.1 Crescimus ex numeris, quos das mihi nuper ineptus,  
 2 crescimus invidia, vir male sane, tua ;  
 3 laus mihi summa venit, mea si bene facta rependas,  
 4 si mea displiceant optima dicta tibi.  
 5 Nam, quo nostra minus stulto tibi Musa probatur,  
 6 hoc magis est doctis usque probanda viris.

## AD PAULUM ANTONIUM SODERINUM

E\_147 v.1 En tua, Paule, quidem virtus, nomenque tuorum,  
 2 publica resque facit tam bene gesta tibi,  
 3 ut vestros ausim jam nunc sperare favores,  
 4 atque tua ut nobis auxiliieris ope.  
 5 Quare siquid erit quod te mea Musa rogabit,  
 6 ut faveas domino, Paule benigne, suo,  
 7 ipse velim credas divino ex ore precanti,  
 8 ipse velim facias quod petet illa mihi.  
 9 Namque, volens patrias per vos invisere sedes,  
 10 sperat in urbe sua posse tenere locum.  
 11 Musae siqua fides igitur praestanda canenti,  
 12 siqua fides precibus contribuenda piis,



13 quod petimus nostro facies ita ductus amore,  
 14 sicque bonus nobis auxiliator eris,  
 15 fluctibus ut vastis per te scopulisque relictis,  
 16 tranquillos portus nostra carina petat.

## AD ALAMANNUM RENUCCINUM

E\_148 v.1 Renuccine, tua qui clarus haberis in urbe  
 2 Etruscos inter nobilitate patres,  
 3 clarus et ingenio, doctrina clarus in omnes,  
 4 artibus his clarus, quas tibi Musa dedit :  
 5 cum patriae magnis potiaris honoribus et sis  
 6 praefectus doctis, doctus, in urbe viris,  
 7 te rogo, ne nostri quoquam tibi cura recedat,  
 8 te rogo nostra putes digna favore tuo.  
 9 Te duce percupimus patrios habitare Penates,  
 10 te duce Syllanos incoluisse Lares.  
 11 Te quoque Pieridum vitreos hortante liquores  
 12 hausimus, inque sacro tinximus amne caput,  
 13 cum bene me monitis juvenem gravioribus urgens,  
 14 artibus impuleras advigilare bonis.  
 15 Te duce sum Lydam jam nunc rediturus in urbem,  
 16 te duce sum patriam nunc aditurus open,  
 17 tu modo des nostrae jam nunc, Alamanne, Camenae,  
 18 te duce quem certum sperat habere locum.

## AD PETRUM SODERINUM

E\_149 v.1 Cui, Soderine, dedit priscum, Petre, nomen avorum,  
 2 cui dedit egregii laus quoque magna patris,  
 3 turbaque cui fratrum dedit hoc bene multa piorum,  
 4 cui quoque quod caput est Musa benigna dedit,  
 5 ut nullum tota jam sis habiturus in urbe,  
 6 qui vera te sit nobilitate prior :  
 7 te precor, ut conducendis qui frater Etrusca  
 8 egregie doctis praesidet urbe viris,  
 9 hunc rogites, Soderine. Velim mihi justa petenti  
 10 det bonus ac votis annuat inde meis ;  
 11 det patrios habitare Lares patriosque Penates,  
 12 deque peregrina sede redire domum.  
 13 Sic tu, quem meritus nunc es, potiaris honore,  
 14 sic tuus in tota sit locus urbe prior,  
 15 sic natos videasque senes pater inter Etruscos  
 16 altius illustres exseruisse caput,  
 17 conjuge cum tenera superes sic Nestoris annos,  
 18 sic data sint vitae candida fila tuae !

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_150 v.1 Dum male fortunae pugnando obluctor iniquae,  
 2 me neque certamen vincere posse puto,  
 3 cedere jam rerum dominae sortique putabam,  
 4 cedere jam fato tam sine lege gravi :

5 at me Musa docens graviter reprimensque labantem,  
 6 instantique vetans succubuisse malo,  
 7 inquit : Nonne putas Medicen te posse tueri,  
 8 cum bonitas causae tanta sit, ecce, tuae ?  
 9 Rebus in his Medices sortem superavit acerbam,  
 10 in quibus haec eadem sola ministra fuit,  
 11 in quibus est illi summo data jure potestas,  
 12 in quibus arbitrio fungitur illa suo.  
 13 At, modo cum Musae - casus quibus omnis abesto ! -  
 14 quas mala non audet sors temerare deas,  
 15 partibus ex multis ita te tueantur ab illa,  
 16 ut sit opus nec adhuc cedere, Nalde, tibi,  
 17 ut sit opus duro nec adhuc succumbere fato,  
 18 jactarit tumido te licet unda mari,  
 19 tanto te citius Medices vi tollet ab acri,  
 20 es quanto facilis nunc tua causa magis.  
 21 Extorquere manu nam cum Laurentius heros  
 22 possit iniqua suum quod putat illa bonum,  
 23 cumque gravi patriam repararit ab hoste cadentem.  
 24 Ne foret, heu, sorti diripienda malae,  
 25 cumque bonus pacem rursus placidamve quietem  
 26 urbibus attulerit sorte vetante suis,  
 27 quanto, Nalde, magis meliusque tuebitur idem  
 28 te, modo Pierium qui meditaris opus,  
 29 qui neque fortunae penitus te credis iniquae,  
 30 ast iter huc, quo te ducit Apollo, tenes.  
 31 Ergo ne dubita : te fors licet improba semper  
 32 vexarit, tanto vindice liber eris.  
 33 Nam ruet adversos tibi sic Laurentius Euros,  
 34 ne tua sit ventis navis abacta malis,  
 35 ac cives inter doctos dabit ille locum quem,  
 36 urbanae ut pars sis non abigenda togae.  
 37 Haec mea Musa dedit. Tu, quam colis, optime rerum,  
 38 Tu Musae, Medices, fac rata dicta precor.

AD BARTHOLOMEUM POLITIANUM IURISCONSULTUM

E\_151 v.1 Carmina digna tuo Marco, te digna remitto,  
 2 aurea quae pulcher dictat Apollo sibi.

AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_152 v.1 Quid mirum est, Medices, si nunc satis aurea fulget,  
 2 quam des usque tuis, sculpta moneta tibi :  
 3 aureus es totus ; surgit de pectore virtus  
 4 aurea, sunt mores, aureus est animus.  
 5 Unus abest honor inde tibi, quod non ea nunc sunt  
 6 aurea, quae tibi nunc carmina pauca fero.  
 7 At, si quod ceptum per te mihi constet in aevum,  
 8 ac me, quem dederas, usque sequatur honos,  
 9 aurea verba fluent : nequid tibi desit ab auro,  
 10 aurea conscribam carmina multa tibi.

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_153 v.1 Hinc procul a nobis curae, procul ite labores :  
 2 ingressa est tutos nostra carina sinus.  
 3 Jupiter e caeli Medicen statione tuetur,  
 4 qui bene nos itidem spectat ab arce poli.  
 5 Vicimus omne malum, luctantia vicimus astra,  
 6 te duce, cui, Laurens, dat fera Parca locum.  
 7 Hinc, Saturne, tibi, data non erit ulla facultas,  
 8 ut noceas : vetat hoc stella benigna Jovis.  
 9 Nam Medices, qui tam populos valet inter Etruscos,  
 10 Jupiter in superos quam valet ipse deos,  
 11 qua durum Ligurem, qua quaeque gravissima vicit,  
 12 hac quoque me victor proteget usque manu.

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_154 v.1 Temporibus fuerat medicorum portio priscis,  
 2 est data cui soli sola tuenda salus,  
 3 quin et alipta fuit medicinae in parte locatus,  
 4 cui sua reddendi cura coloris erat :  
 5 hoc utrumque potes, Medices, praestare petenti,  
 6 hoc utrumque tibi pulcher Apollo dedit.  
 7 Quod te, per natosque tuos, per avumque patremque,  
 8 perque tuum, res est quod mihi sancta, caput :  
 9 optatae velut es mihi maxima causa salutis  
 10 et facis ut vitae consuluisse queam,  
 11 urgeat utque caves ne nos male tristis egestas,  
 12 ne nos atque fames imperiosa premat,  
 13 te precor, ut statuas membris ita ferre colorem,  
 14 corporis ad sanum desit ut inde nihil.  
 15 Hoc facies, patria qui primus in urbe refulget,  
 16 te duce si cures ut mihi detur honos ;  
 17 hic erit ille color, qui dum mihi vita supersit,  
 18 candidus in faciem splendeat usque meam.  
 19 Sed tamen ista velim credas mihi vera canenti,  
 20 ista vel ex animo dicta fuisse putes :  
 21 Laurenti, non tam dare te volo prima roganti,  
 22 haec sit ut aura magis grata futura mihi,  
 23 a me quam peragi melius quodcumque jubebis,  
 24 quam fieri cupio res magis apta tibi.

## AD EUNDEM

E\_155 v.1 Si fieri cuperem cives prior inter Etruscos,  
 2 ut patriae jubeam quaeque gerenda meae,  
 3 omnibus imprudens ac non bene sanus haberer,  
 4 illa quod aggrederer, quae nimis alta forent.  
 5 At, cum te primas quaeram mihi tradere partes,  
 6 ut faciam monitus tempus in omne tuos,  
 7 ut sequar illa, mihi quae tu mandata daturus  
 8 es, quibus attulerit non meliora Plato -  
 9 novisti quoniam non tam quae scripserat ille,  
 10 quam facis, et patriae diceris inde pater - ,

11 me minus invadet nunc re malus error in ulla,  
 12 te duce quicquid agam sed bene semper agam.  
 13 Hujus tota tibi, Laurenti, gloria facti,  
 14 hujus erit meriti totus habendus honos,  
 15 publica gestarim quod te monitore decenter,  
 16 muneribus patriae quod bene functus ero.  
 17 Quicquid enim Tuscam geritur ratione per urbem,  
 18 omnis, ut auctori, est laus tribuenda tibi.

LAURENTIO MEDICI AD BALNEA PHILIPPEA EUNTI

E\_156 v.1 Balnea cum subeas divino inscripta Philippo,  
 2 hinc ut certa tibi sit reditura salus,  
 3 Florentina sui pro debilitate parentis  
 4 in votum non est patria versa minus,  
 5 quam pro Pompeio Campania tota fuit, cum  
 6 Diis pia vota, viro febricitante, luit.  
 7 Ergo redi validusque tuis populoque precanti,  
 8 tutior ut tibi sit, quam sibi, facta salus.

AD BARTHOLOMEUM LUCENSEM VIRUM DOCTISSIMUM

E\_157 v.1 Alpheae peterem cum moenia condita genti,  
 2 Pisani subiens litora nota maris,  
 3 me mea Musa monet Lucam divertere ad urbem  
 4 optatos nobis exhibitura Lares  
 5 huc, ubi jam tanto nos Bartholomeus amore  
 6 accipiat, quantum nemo referre queat :  
 7 nanque bonus referet quod scripsit Apolline dextro,  
 8 mentis ut ostendet vir mihi doctus opes.  
 9 Quare, siqua fides divinae stirpis alumnae  
 10 danda, velis, quod habes nunc, aperire mihi,  
 11 artibus egregii quicquid meditaris honestis,  
 12 addis et antiquis quicquid, amice, novi :  
 13 ne spes decipiat divam mihi certa canentem,  
 14 te precor arcani detege quicquid habes.

UNA EX MUSIS ALLOQUITUR LAURENTIUM MEDICEN UT PATREM

E\_158 v.1 Jupiter ut pater est, ita tu pater alter haberis :  
 2 nos tua progenies, nos tua cura sumus.  
 3 Nos igitur doceas quidnam peccavimus in te,  
 4 laesimus in quo te numine fare, pater.  
 5 Neve sinas, nitidos perturbet ut anser olores,  
 6 sed canat obscenas inter ineptus aves,  
 7 prata sed assiduo rimetur fontia rostro  
 8 caenosoque suum mergat in amne caput,  
 9 audeat ut nusquam fecisse minora canendo  
 10 quae tua sunt gravibus facta canenda modis.  
 11 Te referat vates, qui Phoebos digna locutus  
 12 ora Medusaeis docta rigavit aquis :  
 13 at, nescit qui nos, qui nescit Apollinis artes,  
 14 pellatur vestris sordidus anser agris.

15 Haec, tibi quae canerem, doctae monuere sorores :  
 16 tu lege, Laurenti, quod tibi Musa dedit.

AD ATHLANTEM MANETTI MELIOROTTI FILIUM

E\_159 v.1 Omnia, quae facias Musis et Apolline dextro,  
 2 imparibus volui saepe referre modis ;  
 3 sed cum saepe tibi meditarer dicere carmen  
 4 protinus in medio destitit ore sonus.  
 5 Namque canendus eras, memini, graviore Camena,  
 6 res magis egregium namque petebat opus :  
 7 a Jove prima tibi generis quia surgit origo,  
 8 a Jove prima tuae gloria gentis adest.  
 9 Maïam namque ferunt homines Athlante creatam  
 10 dilectam summo concubuisse Jovi,  
 11 ex qua Mercurius genitus, nisi falsa monemur,  
 12 virginis Erigones fertur adisse domum.  
 13 Ille deus, terras levibus dum circuit alis,  
 14 Arcadicam celeri dum pede tangit humum,  
 15 primus iter faciens, testudine forte reperta,  
 16 divina curvam struxerat artelyram ;  
 17 ille feros cultus hominum formasse recentum  
 18 dicitur atque modis instituisse suis ;  
 19 doctus item lapides duros mollire canendo,  
 20 compulit in muros saxa coire novos.  
 21 Sic tu, quo summum referas gravitate Tonantem,  
 22 luminibus retines numen utrimque tuis ;  
 23 nominis interea nequid tibi desit aviti,  
 24 Athlantis positum de Jove nomen habes ;  
 25 totius at stirpis ne pars foret ulla relictæ,  
 26 tangis inauratae consona fila lyrae.  
 27 Inde colis Musas, sanctos colis inde poetas,  
 28 quicquid et Athlantis fecit in orbe nepos :  
 29 unde fit, ingenium cum sit tibi, docte, benignum,  
 30 rursus et ad citharam carmina blanda canas,  
 31 omnia Mercurio similis, caput, ora, manusque,  
 32 sis Athlas ingenio, corpore, mente bonus.

ANGELO POLITIANO MUSARUM SACERDOTI

E\_160 v.1 Dum sacrum miris extollis in aethera vatem  
 2 versibus, ut mirum surgat ab arte decus,  
 3 fingis et Aonias Nysae de monte puellas  
 4 descendisse, novas dent ut in ora dapes,  
 5 dum facis infanti Musas instare Maroni,  
 6 quaelibet ut puero roscida mella ferat,  
 7 ista quidem veris numeris quae facta recensens  
 8 tu mihi, vera satis cuncta fuisse putem.  
 9 Sit procul a nobis antiqua licentia vatum :  
 10 si dare vera licet, cur dare ficta velim ?  
 11 Namque pios Manes ita pectine doctus eburno,  
 12 quos canis, ecce, tuos cogis adire modos,  
 13 Elysium ut campum linquens et amoena vireta  
 14 quaeve sacri vates arva beata colunt,

15 Angele, Virgilius subiens tua corpora certe  
 16 intrarit : medio nam tibi corde sedet.  
 17 Vidimus his oculis divina per ora fluentem  
 18 hunc tua : namque pii numina sancta vident.  
 19 Hinc tu, crede mihi, non, Politiane, sed ille  
 20 concinuit solitis facta vetusta modis ;  
 21 hinc canet insanum rursus Corydonis amorem  
 22 et cur non illum pulcher Alexis amet ;  
 23 inde rudes iterum deducet in arva colonos  
 24 ac laetas segetes qua facit arte Ceres ;  
 25 mox aliquid varians Laurentia facta parabit  
 26 dicere, sint Medicae quae monumenta domus.

## AD PETRUM NIGRUM

E\_161 v.1 Cum Niger a nigro, Petre, sis agnomine dictus,  
 2 candida cum sit mens, candidus atque animus,  
 3 candidus atque niger simul es, quis credere possit ?  
 4 Intus candor inest, sunt tibi nigra foris.  
 5 Accipis unde pias in cenam, candide, Musas,  
 6 divinus quarum candor in oresedet,  
 7 inter ut hinc doctos, doctus, verseris amicos,  
 8 famaue candoris crescat ut inde tui.

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_162 v.1 Si mihi pontificis persona gerenda daretur,  
 2 in ditibus cunctis dum mihi vita foret,  
 3 non tanti facerem, Medices, neque tanta putarem  
 4 munera pontificum, sint ea summa licet,  
 5 uno quanta putem duce te dimensa duobus  
 6 mensibus in dominos tempora agenda novos.  
 7 Nanque potes tantum, tantum sapis, optime rerum,  
 8 majus ut hoc, quod agis, sit nihil, aut melius.

## DISTICHON AD EUNDEM

E\_163 v.1 Non peto, Laurenti, nisi quae cupis : omne quod optas  
 2 nam volo ; quod non vis, nec volo nec cupio.

## IN NICOLAUM VITELLIUM TYFERNATEM

E\_164 v.1 Cum bona tanta tuis dederis, Nicolae Vitelli,  
 2 carmine quanta meo vix memorare queam,  
 3 patribus a cunctis, moriens, populoque Tyferni  
 4 lugentis patriae diceris esse pater.

## IN EUNDEM

E\_165 v.1 Per mare, per terras quamvis errasset Ulixes,  
 2 in patriam rediit sic male notus humum,

3 cognitus uxori tamen ut minus esset amatae,  
 4 cognitus a nullis esset ut ille viris.  
 5 At, procul a patria quamquam Nicolaus abire  
 6 exul ad externos saepe coactus erat,  
 7 victor in antiquos rediit tamen inde Penates,  
 8 saepius et carus sic fuit usque suis,  
 9 ut pater hinc patriae populo vocitetur ab omni,  
 10 et data sint cineri nomina tanta suo.

AD MITRIDATEM DE VOTO MINIME OBTENTO

E\_166 v.1 Audieram patrem Musas Veneremque benignam  
 2 posse mihi precibus conciliare Jovem.  
 3 Sed cum tentassent frustra, tentavit Apollo  
 4 quod dare Musa nequit, quod Venus ante mihi.  
 5 Cum nihil efficeret Phoebus, Cyllenia proles  
 6 mittitur optatis adsit ut illa meis :  
 7 nam, nisi Mercurius sit junctus et ipse Tonanti,  
 8 nil grave, quod fieri de Jove possit, erit.  
 9 Altitonans igitur dare cum modo desinat illa,  
 10 junctus Atlantiadae quae dare certa solet,  
 11 nil est quod sperem, timeam sed ut ordine verso,  
 12 ne male nunc redeat qui fuit ante chaos.

AD TOMMAM SCRIBAM PRINCIPIS MIRANDOLANI

E\_167 v.1 Non puero casses tenero, neque retia cuique  
 2 tendere, nec novi qua valet arte capi.  
 3 At nos si tales nunc demeriturus amicos  
 4 tam doctis possum grata referre viris,  
 5 inveniam pueros, pueros tibi mille parabo,  
 6 ut voti tu sis nescius inde tui :  
 7 nam, Ganymede putas si te non turpe potiri,  
 8 hunc quaesisse putem jam mihi turpe minus.

AD LAURENTIUM MEDICEN DE AMOENITATE ET PULCHRITUDINE PRAEDII SUI,  
 QUOD PODIUM INSCRIBITUR CHAIANUM

E\_168 v.1 Hoc est regis opus : sunt regia prata, vides quae ;  
 2 regis inest stabulis regia mulctra tibi,  
 3 regius et pastor multos alit inde juvencos,  
 4 stat veteris Lactis copia statque novi ;  
 5 regius est hortus, qualem nec Thessala Tempe  
 6 pulchra tenet, qualem non habet Alcinous ;  
 7 regius atque lacus : super hunc ubi retia tendis,  
 8 innumeras anatas implicuisse potes.  
 9 Aggeris assurgit tibi regia cura tuendi,  
 10 ne Medicos Umbro saevus inundet agros :  
 11 quin et aquae ductus trahitur tibi tantus in aedes,  
 12 Romani quantum vix habuere patres.  
 13 Regia, Laurenti, domus est tua, regius ordo,  
 14 rebus et in cunctis regius est animus.  
 15 Nec mirum : nam tu, rex et pater omnibus idem,

16           omnia tam sancto nomine digna facis.

AD LAURENTIUM MEDICEN PATRIAE PATREM DE FELICI REDITU A BALNEIS MORBI

E\_169    v.1       Nescio qua causa, proprio sed nomine, dictae  
           2            morbosae quondam vos fueratis aquae.  
           3        At, modo cum certam Medici tribuisse salutem  
           4            vos videam, populis qui decus omne suis,  
           5        hinc, aqua, pro meritisque novis, pro munere tanto,  
           6            civibus a Tuscis dicta salubris eris.  
           7        Nam dare non poteris graviora petentibus ipsis,  
           8            nec magis ingeniis grata futura bonis,  
           9        quam patriae patrem servare salubribus undis,  
           10           majus in urbe sua est quo nihil aut melius.

IN IOHANNEM COREGIUM MERCURIUM COGNOMINE DICTUM. AD ALEXANDRUM BRACCIUM

E\_170    v.1       Hos fuge, qui sacros audent se dicere vates  
           2            nec sunt, sed ficto nomine falsa canunt.  
           3        Cum modo sic audax nostra sit in urbe repertus  
           4            se natum e supero qui ferat esse patre,  
           5        dicat et haec eadem sibi convenientia certe,  
           6            quae Christo memorant esse tributa deo - :  
           7        grande nefas, et quod sacro sit ab igne cremandum,  
           8            ne falsa populum relligione premat.

AD IOHANNEM GUIDUM FLORENTINARUM LEGUM CONDITOREM  
 ATQUE OCTOVIRUM DESIGNATUM

E\_171    v.1       Quam bene qui summas rerum modo tractat habenas  
           2            urbis custodem te facit ipse tuae,  
           3        officium cuius, nequod scelus extet inultum,  
           4            nequod item gravius fiat in urbe nefas,  
           5        quod fas, quodve pium, populo servetur ut omni,  
           6            ut vetitum sit, quod lege vetatur, opus.  
           7        Nam mage servandas quis curet in omnia leges,  
           8            quis mage servandi juris amicus erit,  
           9        quam tu, qui scribis leges, qui jura ministras,  
           10            quique viris mores ponis in urbe probos ?

IN FONTIUM NOMEN SIBI FONTIS USURPANTEM

E\_172    v.1       Fontius es dictus, sed quam male convenit, audi,  
           2            quam male abundantis nunc tibi nomen inest :  
           3        durior es petra seu carmen scribere tentas,  
           4            siccior es ligno sive solutus eas.  
           5        Siccus a sicco posthac vocitaberis ergo :  
           6            nomina facundis fontia linque viris !



## IN EUNDEM DE CHRISTI RELIGIONE MALE SENTIENTEM

E\_173 v.1 Audisset doctos cum Fontius - ipsa vetustas  
 2 tradiderat - superos saepe negare deos,  
 3 doctior ut reliquis videatur habendus in omnes,  
 4 abnegat et Christo numen inesse deo ;  
 5 dicit et hos, ipsum quicumque fuere secuti,  
 6 verba quidem libris vana referre suis,  
 7 Hieronymumque sacrum damnat male sanus et audet  
 8 carpere divina scripta notata manu.  
 9 At modo, quam juste Christus facit omnia, Fonti,  
 10 quam gravis est scelerei poena parata tuo !  
 11 Nam, pia dum spernis, dum tu divina reprendis,  
 12 fecit ut ignores id, quod agunt homines.

## IN GRIFUM PEDICONEM

E\_174 v.1 Grife, quid inter nos audes prodire, quid inter  
 2 saepius egregios isque redisque viros,  
 3 cum constet pueri flagrare cupidine turpi  
 4 te modo, qui fidei creditur usque tuae ?  
 5 Hinc scelus est duplex : violas, malus, ante pudicum  
 6 quod fuit, inde fides est violata tibi.  
 7 Poena sed est praesens : nam, si pater ipse notabit  
 8 uteris ut puero tam male, Grife, suo,  
 9 spectandus tota prius urbe vagaberis, inde  
 10 Vulcano facies ignea sacra deo.

## AD LAURENTIUM MEDICEN VIRUM CLARISSIMUM

E\_175 v.1 Cedant fata tibi, fatorum cedat et ordo,  
 2 cedat item quicquid Parca severa movet.  
 3 Nam, tibi non modo quod supra caput astitit, omne  
 4 vicisti, Medices, exitiale malum,  
 5 publica sed, quae sunt durissima, viribus isdem,  
 6 Laurenti, superas, Marte favente tibi ;  
 7 quod negat hic aliis quia dat tibi factus amicus,  
 8 cui videt aetherium cuncta dedisse Jovem.  
 9 Talibus e causis tibi Petra Ligustica cessit,  
 10 addidit et titulis magna trophaea tuis.

## IN ANTONIUM PUCCIUM APUD PETRAM SANCTAM VITA FUNCTUM

E\_176 v.1 Si qui pro patria moriuntur honoribus amplis  
 2 ornantur, gestis quos meruere suis,  
 3 quae, Pucci, dabimus genitori, quantaque summae  
 4 praemia virtuti sunt tribuenda suae,  
 5 nam quoque dum fuerat vivens Antonius olim  
 6 commoda quot patriae, quot bona summa tulit ?  
 7 Ergo dandus honos illi geminusque videtur,  
 8 me statuis geminis iudice dignus erit.  
 9 Altera danda viro quia, dum bene tempus in omne  
 10 vixerat, hic patriae faverat usque suae ;

11 altera quod vitae suavi minus ille pepercit,  
 12 morte sua ut patrias accumularet opes.  
 13 Nec requievit enim ; Liguris dum Petra subacti  
 14 victa Fluentini cessit in arma ducis.

AD LAURENTIUM MEDICEN VIRUM CLARISSIMUM

E\_177 v.1 Distuleris quamvis multos me tardus in annos,  
 2 qui patriae prior est, ut mihi detur honos,  
 3 laudo tamen causam : quia nunc sapientius illum  
 4 tradere quam quondam te mihi posse puto,  
 5 urbe quod in patria propria virtute potes plus  
 6 solus, quam cuncti, qui potuere prius,  
 7 unde fit ut semper, quod agas imitentur id omnes,  
 8 promptius et, quicquid jusseris unus, agant.  
 9 Adde quod est nobis etiam maturior aetas,  
 10 ut quoque nos possint ista decere magis.  
 11 Ergo age, Laurenti, nec te modo differ in aevum  
 12 venturum : dato sed, dum dare fata sinunt !  
 13 Nam, licet et vires tu sis habiturus easdem  
 14 semper et imperii frena tenenda tibi,  
 15 non tamen hoc semper poteris mihi ferre quod opto,  
 16 non quia tu nolis, sed quia nullus ero :  
 17 aetas namque fugit, tacitoque senescimus aevo,  
 18 et senibus cito mors inicit atra manus.

AD PETRUM MEDICEN LAURENTII FILIUM GRAECIS ET LATINIS LITTERIS ERUDITUM

E\_178 v.1 Petre, velim magno commendet gratia patri  
 2 me tua, Romanos dum petis ecce Lares.  
 3 Sic tibi dent Graiae semper Latiaeque Camenae  
 4 te puerum doctos posse praeire senes,  
 5 de patre sic capias moderandi frena Leonis,  
 6 sic sis in patria tertius urbe pater :  
 7 dicito, me foveat, me complectatur in ulnas,  
 8 protegat atque sua, te duce, semper ope.  
 9 Fac, modo quod petii, sic obtinuisse queamus,  
 10 ut mea quod non dat, det tua Musa mihi.

CLARISSIMO HISPANI REGIS ORATORI ANTONIO GERARDINO AMELIO

E\_179 v.1 Tardior haec multo quod te mea Musa petivit  
 2 quam foret officium, docte poeta, suum,  
 3 visere, causa fuit, quia non audebat eum, qui  
 4 est decus Hesperiiis, qui decus omne suis,  
 5 cui bene sic animum mentemque inspirat Apollo,  
 6 carminis atque artem sic dedit ante novi,  
 7 ut silvas cithara moveas cantuque profundas  
 8 et trucibus facias mollia corda feris.  
 9 Nec minus inde tuos verita est intrare Penates,  
 10 quam Clarii cum sunt antra petenda dei.  
 11 Cum tamen, Antonii, tibi sit clementia, summo  
 12 quae minor ingenio non sit habenda tuo,

13 ulterius statuit posthac nihil esse morandum,  
 14 at propere vatem duxit adire sacrum,  
 15 Jupiter e summo cui prospicit altus Olympo  
 16 pluraque dat magno magna futura viro,  
 17 cuive lyram Phoebus, cui dat Cyllenius artem,  
 18 qua facit in muros saxa coire novos,  
 19 cui dea cantanti superum Venus afflat amorem,  
 20 filia cui Veneris Gratia semper adest.  
 21 Hanc igitur nostram, quae te petit, ecce, Camenam,  
 22 vix tandem in vestros ausa venire Lares,  
 23 hospitio timidam ne dedigneris amico,  
 24 sed placido, vates, accipe, docte, sinu.

## AD AMERIGUM CORSINUM

E\_180 v.1 Sic tua divinum meritis laus aequet Homerum,  
 2 aequet item tua sic Musa Maronis opus,  
 3 sic, Amerige, tuum carmen bene vivat in annos  
 4 perpetuos, Cosmi quo nova gesta canis :  
 5 da, Corsine, libens mihi, te precor, optime vates,  
 6 quod, nisi tu dederis, nemo daturus erit.  
 7 At, mihi si statuens quae jam tribuenda putasti,  
 8 annueris votis, docte poeta, meis,  
 9 annuerint omnes : omnes mihi danda putabunt  
 10 haec eadem, quorum tu dator unus eris.  
 11 Nam tibi collegae docti cessere volentes,  
 12 non secus ac illis alter Apollo fores,  
 13 non secus ac uni reliquae cessere Sorores,  
 14 nomine quae dicta est Calliopea suo.

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_181 v.1 Jupiter ut superos unus regit usque Penates,  
 2 unus ut est princeps, unus in arce deus,  
 3 illius ut reliqui Superi Jovis esse feruntur  
 4 membra, velut parent illius imperio,  
 5 sic, te cum virtus primum tua maxima nobis  
 6 fecerit hinc ut sis primus in urbe pater,  
 7 cetera turba quidem velut est tibi debita, servit :  
 8 urbis enim caput es, tu caput es populi.  
 9 Omnis enim cedit tibi, cui sapientia prima,  
 10 primus item cui sit nobilitatis honos,  
 11 sidera cui penitus cessere volentia caeli,  
 12 facta benigna tibi, siqua maligna forent.  
 13 Non igitur sedem dominam neque principis aulam,  
 14 non ego sim, pro me, primus in urbe, peto :  
 15 aptior ut, Medices, pars sim tibi facta rogamus,  
 16 aptius ut monitis pareat illa tuis.

## AD LAURENTIUM MEDICEN

E\_182 v.1 Quid, Saturne senex, quid, Mars violente, paratis  
 2 tollere, quam decuit foedus habere, fidem ?

3 Non, Gradive, tibi locus est, mihi crede, nocendi :  
 4 ipse licet vires experiare tuas,  
 5 Saturni radiosque graves miscere volentis  
 6 se licet opponat stella maligna tibi.  
 7 Curat enim Medices Laurentius ista, jubenti  
 8 cui favet altisoni regia celsa Jovis,  
 9 quem docuit Phoebus primo nascentis ab ortu,  
 10 qua ratione foret certa petenda salus,  
 11 fataque cui cedunt, metuunt quem fata, nec audent  
 12 hinc temerare virum, cui grave nomen inest.  
 13 Quin speranda magis sunt optima : nam solet ille  
 14 casibus ex variis surgere in alta magis.  
 15 Quo graviora solent instare pericula fortis,  
 16 hoc magis adversas extulit ille vices,  
 17 unde fit, ut Medices victor sit ubique futurus,  
 18 sive minentur ei sidera, seu faveant.

## IOHANNI GUIDO VIRO DOCTISSIMO

E\_183 v.1 Nos quicumque docent quid splendida sidera possunt,  
 2 Jupiter in nos quid, quid valet arma Venus,  
 3 hac ratione docent, ut cum Cyllenius illis  
 4 jungitur aut videt hos ternus ab arce poli,  
 5 tunc valet Altitonans, valet et Venus aurea nobis  
 6 vel bona, Mercurio iudice, summa dare.  
 7 In Tuscis igitur cum sis primatibus unus,  
 8 qui, quod agunt (alii), quod meditantur, opus  
 9 perficias virtute nova bonus inde Johannes  
 10 sic, nisi quae sentis, ut dare nemo velit -  
 11 non secus atque negant dare sidera victus et illis,  
 12 sit nisi quem genuit candida Maia Jovi - :  
 13 te precor, ut, mihi quae primos dare velle videbis,  
 14 haec vice Mercurii tu quoque danda putes.

## ASCANIO CARDINALI

E\_184 v.1 Ante Magi dederant Christo quae munera reges,  
 2 dum puer in cunis matre colente fuit,  
 3 aurea declarant supero fore danda Tonanti,  
 4 declarant magnis aurea danda viris.  
 5 Si mihi tanta forent igitur, bene quanta mereris,  
 6 quantaque virtuti sunt tribuenda tuae,  
 7 aurea dona libens, princeps, tibi multa dedissem,  
 8 versibus inque meis aurea mixta forent.  
 9 Sed mihi cum tantos fortuna negaverit usus,  
 10 nec sit quo possim tam dare magna tibi,  
 11 carmina pauca dedi, tibi quae mage grata putavi,  
 12 ingenio duxi quae magis apta tuo.  
 13 Cum dabitur nobis, ut et aurea ferre queamus  
 14 munera principibus suscipienda bonis,  
 15 aurea dona feram multoque libentius isto  
 16 carmine, quod paulo scripsimus ante tibi.

IOHANNI, LAURENTII MEDICIS FILIO, PROTONOTARIO APOSTOLICO,  
AC SANCTI GERMANI PRINCIPI EXCELLENTISSIMO

E\_185 v.1 Si, tibi quod pater est Medices Laurentius, unus,  
2 qui meritis patriam tollit in astra suis,  
3 sacros pontificis primosque mereris honores -  
4 tantus honor patris, est gloria tanta tui -  
5 quae dabimus, Medices, doctrinae digna, Johannes,  
6 munera, virtuti quae satis ampla tuae,  
7 artibus ingenuis dabimus quae moribus aureis,  
8 exiget aut probitas quae tibi dona dari,  
9 cum tam magna tibi dare tam puerilibus annis  
10 censuerint reges pontificesque sacri ?  
11 Certe ego non homines habituros tanta putabo  
12 praemia, pro meritis quae tibi digna ferant.  
13 Unus in orbe satis nam pontificatus habendus  
14 cum sit, et ulterius nemo cupisse velit,  
15 tot mundi fiant, tot nunc oriantur, oportet,  
16 quot fore Democritus censuit ante senex,  
17 tam multis, Medices, ut in orbibus inveniatur  
18 multus pontificum qui tibi dandus honor.

PETRO LAURENTII MEDICIS FILIO

E\_186 v.1 Indolere alii, quoties gravis urget egestas,  
2 defuit aut, Medices, quod cupiere, bonum.  
3 Ast ego nunc laetor, bona quod mihi talia desint,  
4 qualia fortunae quisque fuisse putat.  
5 In promptum ratio est : quia sum tibi causa paratus,  
6 in quem virtutes experiare tuas,  
7 in quem contuleris tot, adhuc, puerilibus annis,  
8 quot regum nullus contulit ante senum.  
9 Hinc tanti facio quae tu mihi dona dedisti,  
10 iudicium propter, Petre benigne, tuum,  
11 quanti non facio quicquid gerit Indica tellus,  
12 quicquid et auriferi praestat arena Tagi.

LAURENTIO MEDICI VIRO CLARISSIMO ATQUE PATRI PATRIAE

E\_187 v.1 Quam sapis, o Medices, licet hinc spectare volenti,  
2 inque tuam patriam sit tibi quantus amor :  
3 nam, cum perspicias longos hanc semper in annos  
4 victuram fato cedere nolle gravi,  
5 ut data sit nato facis Alfonsina merenti -  
6 sponsa quidem tanto facta beata viro - ,  
7 tot nova progenies ut suffectura nepotes  
8 sit modo, quot numquam deterat ulla dies,  
9 munera qui teneant ita publica tempus in omne,  
10 quique regant urbes qualibet arte suas,  
11 ut, domus in Latios quod Julia contulit olim,  
12 protinus imperii causa futura novi,  
13 hoc domus in Tuscos Medicum ferat optima cives,  
14 augeat et patrios, auxit ut ante, Lares.

## EPIGRAMMA IN MARIAM MORELLAM VITA FUNCTAM PUELLAM PULCHERRIMAM

E\_188 v.1 Quae fuit Etruscis formosior una puellis,  
 2 qua fuit inferior Gratia, Musa, Venus,  
 3 morte cita rapitur : juvat hanc nec forma cadentem,  
 4 heu, Venerem potuit qua superare deam.  
 5 Desinat in terris igitur sperare salutem -  
 6 non modo mortali conditione datur -,  
 7 sed sibi Caelestes timeat, ubi Parca Morellae  
 8 tam subito nigras intulit atra manus.

## CARMEN DE M. MORELLA

E\_189 v.1 Azarole, velim, quo captus amore fuisti,  
 2 vidisses dominae membra sepulta tuae,  
 3 tunc ubi vespillo corpus miserabile nati  
 4 infantis matri, tristia dona, dedit :  
 5 jurasses hujus nullo peritura sub aevo  
 6 membra, nec a turpi commaculanda situ,  
 7 forma quod haec ibi, quae viventis et ante fuisset,  
 8 visa sit humanas jam superasse vices.  
 9 Accensis facibus quia visus adesse Cupido est,  
 10 ut mortis tenebras pelleret inde graves ;  
 11 vertice de Paphio lectos Venus aurea flores  
 12 stravit, ut extincta mollius ossa cubent ;  
 13 rursus in exsanguem suaves ita fudit odores  
 14 Idalium Veneri quos tulit ante nemus,  
 15 semper ut exstarent non inficienda Morellae  
 16 corpora, de superis facta quod una foret.  
 17 Pone modum lacrimis, igitur, dolor omnis abesto :  
 18 in superas luctus non facit iste deas.